# INSTITUTIONES RHETORICAE AC POETICAE IN DUOS LIBROS DISTRIBUTAE ADOLESCENTIUMERUDITIONI ACCOMODATAE AUTHORE P. PETRO M.A DE LA TORRE E SOCIETATE JESU

Pietro Della Torre

Digitized by Google

6
7-c
10

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
6 A
16

6-7.c.10

Digitized by Google

B 44 b 12

Digitized by Google

Ad usum Fr. Joseph Lanitai
Correggiani Cap. Calmi
die 31: Januarij 1774: Romj
[illegible]

Digitized by Google

# INSTITUTIONES
# RHETORICÆ
# AC POETICÆ
IN DUOS LIBROS DISTRIBUTÆ

*Adoleſcentium Eruditioni accomodatæ*

AUTHORE

# P. PETRO M.ª DE LA TORRE
E' SOCIETATE JESU

~~Spectat fratri Francisco Guzmano Bisarquinensi~~ Tertii Ordinis Sancti Francisci 1773.

Panormitano.

*OPUS POSTHUMUM*

*Editio Altera auctior, & emendatior.*

PRÆCLARISSIMO DOMINO

# VINCENTIO
# BENEVENTANO
DICATUM

✠

IHS

ANORMI, Typis Stephani Amato, MDCCXXXIII.

*SUPERIORUM PERMISSU.*

BIBLIOT. NAZ. VITT. EM. RE

Digitized by Google

Digitized by Google

IN RHETORICAS, AC POETICAS INSTITUTIONES

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

# PRÆFATIO.

*ARs Eloquentiæ, in qua Adoleſcentes inſtituo; maximo eſt vitæ hominum præſidio: cùm enim cæteræ facultates omnes incluſæ noſtris pectoribus, atque animis deliteſcant; Eloquentiæ beneficio in lucem erumpunt aliquando, atque in communes uſus derivantur: non enim juvat te eſſe Sapientem; niſi ea, unde Sapiens es, ad aliorum etiam eruditionem convertas per Eloquentiam. Accedit illud etiam; quòd cùm tanti fiat dominatus in corpora hominum; ut inde tot diſſenſiones, atque bella generentur; majori omnino ſtudio Eloquentiam proſequi debemus; per quam in animos ipſos dominatus acquiritur: ut eos, quò volueris, dicendo impellas, atque in tuam ſententiam inclines ad arbitrium. Ad hanc præſtantiſſimam Artem addiſcendam Libros hoſce Adoleſcentibus Rhetoricæ, ac Poëticæ ſtudioſis propono: non*

§ 2 *quòd*

Digitized by Google

*quòd exiſtimem, me quidquam allaturum, quod non antea complures alii docuerint: ſed quoniam illi aut primæ Tironum inſtitutioni ſua ſcripta non ſatis accommodarunt; aut minùs conſuluere brevitati, quam in Adoleſcentibus informandis ſanctiſſimè colere neceſſe eſt; aut de Soluta Oratione præcepta tantùm tradidere, nulla verò de Ligata: utramque autem Rhetoricæ, ac Poëticæ Candidatos in Scholis edocemus. Libellum ego hunc ea arte condere conatus ſum, ut in utraque Eloquentia breviſſimis præceptis Tirones inſtituerem; iis omnino reſectis, quæ aut minùs neceſſaria putavi, aut captum excedunt Adoleſcentium: nonnulla verò addidi, quæ ab aliis, fortè ut puerilia, prætermiſſa, mihi verò primæ Rhetoris ac Poëtæ inſtitutioni neceſſaria viſa ſunt. Hæc autem omnia; quoniam Adoleſcentium in hac Arte profectum mihi ob oculos unicè propoſui; eo ſtylo pertractavero, ut nihil non clarum in iis ſit nihil non captu facillimum, nihil non, exemplis bene multis illuſtratum:*

exem-

*exemplis namque quammaxime Adoleſcentes erudiuntur. Cæterùm qui Libro hoc uti voles, ſic exiſtima; ſola ejus lectitatione non te continuò evaſurum in optimum Oratorem, optimumque Poëtam; niſi & optimus Præceptor accedat; qui & ipſe re, non nomine Rhetor, & Vates præcepta ſingula fuſiùs verbis explicet, enucleet, tuo captui accomodet, teque veluti manu deducat ad utramq; Eloquentiam: neque enim præſtantiſſima arma dedere victorem ullum, niſi arte tractata. Quòd ſi tibi Vir talis obtigerit; utere feliciter labore hoc noſtro; quem ſi non operis pretio, animo tamen æſtima, quo illum ſuſcepimus, omnium quidem inſerviendi utilitati, ſed præſertim Adoleſcentium, qui apud nos Rhetoricis, ac Poëticis Inſtitutionibus imbuuntur.*



Digitized by Google

# VINCENTIUS LUCCHESE

## SOCIETATIS JESU

*In hoc Siciliæ Regno Præpoſitus Provincialis.*

CUm librum, cui titulus: *Inſtitutiones Rhetoricæ, ac Poeticæ, in duos libros diſtributæ, Adoleſcentium eruditioni accomodatæ*, opus poſthumum à P. Petro de la Torre ejuſdem Societatis conſcriptum, aliqui Societatis Patres ad id deputati recognoverint, & approbaverint; poteſtate nobis ab Adm. Rev. P. Michaële Angelo Tamburino Præpoſito Generali ad id traditâ, facultatem concedimus, ut typis mandetur; ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur: cujus rei gratiâ has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Panormi die 8. Maji 1725.

VINCENTIUS LUCCHESE.

Loco Sigilli.

IN-

Digitized by Google

# INSTITUTIONUM, CAPITUM, ARTICULORUM

# INDEX.

## LIBER PRIMUS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*De ſoluta Oratione.* pag. 1.

INSTITUTIO PRIMA.

D*E iis, quæ generatim ad Rhetoricam pertinent.* ibid.

CAPUT I. *Rhetoricæ Natura.* ibid.

CAPUT II. *Rhethoricæ Materia.* 3.

CAPUT III. *Rhetoricæ Partes.* 4.

CAPUT IV. *Rhetoricæ Subſidia.* 5.

INSTITUTIO SECUNDA.

D*E Epiſtolarum Artificio.* 11.

CAPUT I. *De iis, quæ Epiſtolis omnibus ſunt communia.* 12.

Artic. I. *Quid ſit Epiſtola, & ejus partes.* ibid.

Artic. II. *Epiſtolæ virtutes, & Stylus.* 14.

CAPUT II. *De Epiſtolis in particulari.* 16.

Artic. I. *Epiſtola Generis Deliberativi.* ibid.

§ 4 *Sua-*

*Suaſoria, & Diſſuaſoria.* ibid.
*Reſponſio ad has Epiſtolas.* 17.
*Conſolatoria.* ibid.
*Reſponſio ad Conſolatoriam.* 18.
*Petitoria* ibid.
*Reſponſio ad Petitoriam.* 19.
*Commendatoria.* ibid.
*Reſponſio ad Commendatoriam* 20.
*Communicatoria.* ibid.
*Reſponſio ad Cõmunicatoriam.* ibid.
Artic. II. *Epiſtolæ Generis Judicialis.* 20.
*Accuſatoria.* ibid.
*Reſponſio ad Accuſatoriam.* 21.
*Excuſatoria.* ibid.
*Deprecatoria.* 22.
*Expoſtulatoria.* ibid.
*Diſputatoria.* ibid.
Artic. III. *Epiſtolæ Generis Demõſtrativi.* 23.
*Nunciatoria, ſeu Narratoria.* ibid.
*Eucharistica.* ibid.
*Reſponſio ad Eucharisticam.* 24.
*Gratulatoria.* ibid.
*Officioſa.* ibid.
*Feſtorum dierum Apprecatoria.* 25.
*Dedicatoria.* ibid.
*Elegantiores Epiſtolas exordiendi formulæ.* 26.
*Exordia cùm ad ſcribendum laceſſimus.* ibid.
*Exordia cùm alicui reſpondemus.* 27

Exor-

# INDEX.

*Exordia cùm reſpondemus ad Epiſtolam nobis gratam.* 29.
*Exordia cùm quempiam accuſamus de literarum raritate.* 31.
*Exordia cùm nos excuſamus de literarum raritate.* 32.
*Exordia cùm ſeriùs alicui reſpondemus.* 33.
*Exordia cùm nos purgamus de literarum brevitate.* 34.
*Exordia cùm noſtram in amicum benevolentiam conteſtamur.* 35.
*Exordia quidpiam petendi ab amico.* ibid.
*Exordium agendi alicui gratias.* 36.
*Exordia cùm amicũ cõſolamur.* ibid.
*Exordia cùm quid amico nuntiamus.* 37.
*Exordium ſcribentis ad ignotũ.* ibid.
*Exordium reſpõſuri ad ignotum.* 38.
*Tranſitiones.* ibid.
*Connexiones.* 40.
*Formulæ redeũdi ad propoſitum.* 41.
*Abruptiones.* 42.
*Concluſiones.* 44.
*Formulæ ſubjiciendi aliquid poſt vale.* 45.

IN-

# INDEX.

## INSTITUTIO TERTIA.


DE *Aphthonii Progymnaſmatis.* 46.

CAPUT. I. *De Fabula.* 47.

Artic. I. *Quid ſit, ejuſque utilitas.* ibid.

Artic. II. *Fabulæ Partes, & Artificium.* 48.

Artic. III. *Quotuplex ſit Fabula.* 49.

CAPUT II. *De Narratione.* 51.

Artic. I. *Quid, & quotuplex ſit.* ibid.

Artic. II. *Narrationis contexendæ Ars.* ibid.

Artic. III. *Narrationis Virtutes.* 54.

Artic. IV. *Narrationis Ornamenta.* 56.

Artic. V. *Narrationis* Exempla. 57.

CAPUT III. *De Deſcriptione.* 61.

Artic. I. *Quid ſit.* ibid.

Artic. II. *Quotupliciter fieri poſſit.* 62.

CAPUT IV. *De Chria.* 67.

Artic. I. *Quid ſit, & quotuplex.* ibid.

Artic. II. *Chriæ Partes, earumq; Artificium.* 68.

Artic. III. *Tranſitiones in Chria.* 71.

Artic. IV. *Breve Chriæ verbalis exẽplum.* 74.


## INSTITUTIO IV.


DE *ſingulis Rhetoricæ Partibus.* 78.

CAPUT I. *De Inventione.* ibid.

Artic. I. *De Inventione Propoſitionis.* ibid.

Artic. II. *De Inventione Argumentorum.* 81.


*De*

| | | | |
|---|---|---|---|
| | | *De Locis Intrinſecis.* | 82. |
| Artic. | III. | *De Inventione in ordine ad tractandos animi motus.* | 102. |
| | | *Quæ in affectibus ſingulis ſunt ſpectanda.* | 107. |
| CAPUT | II. | *De Diſpoſitione.* | 112. |
| Artic. | I. | *De Orationis Exordio.* | ibid. |
| | | *Quid ſit, & quotuplex.* | ibid. |
| Artic. | II. | *De Orationis Propoſitione.* | 122. |
| Artic. | III. | *De Orationis Narratione.* | 124. |
| | | *De Amplificatione.* | 125. |
| Artic. | IV. | *De Orationis Confirmatione.* | 132. |
| | | *Quid ſit Argumentatio, & quotuplex.* | ibid. |
| | | *De Confutatione.* | 135. |
| Artic. | V. | *De Orationis Peroratione.* | 142. |
| Artic. | VI. | *Condendæ Orationis breve Artificium.* | 144. |
| Artic. | VII. | *De Tranſitionibus Orationis.* | 145. |
| CAPUT | III. | *De Elocutione.* | 148. |
| Artic. | I. | Elocutio *Pura.* | ibid. |
| | | *Ætas aurea.* | 150. |
| | | *Ætas argentea.* | 152. |
| | | *Ætas ænea.* | ibid. |
| | | *Ætas ferrea, & lutea.* | 155. |
| | | *Reparatio Latinæ linguæ.* | 157. |
| Artic. | II. | Elocutio *Ornata.* | 158. |
| | | *De Tropis.* | 159. |
| | | *Tropi Verborum.* | ibid. |
| | | *Tropi ſententiarum.* | 161. |
| | | *De Figuris.* | 163. |

*Fi-*

Digitized by Google

*Figuræ Verborum.* ibid.
*Figuræ Sententiarum.* 167.
Artic. III. *Elocutio Diſpoſita.* 194.
*Quid ſit Periodus, & ejus partes.* 197.
Artic. IV. *Elocutio Apta.* 204.
*Quid ſit Stylus, & quotuplex.* ibid.
CAPUT IV. *De Memoria.* 207.
CAPUT V. *De Pronunciatione.* 209.
Artic. I. *De Voce.* 210.
Artic. II. *De Geſtu.* 212.
Artic. III. *De Interpunctione.* 214.
Artic. IV. *De recta Syllabarum diviſione.* 216.

## INSTITUTIO QUINTA.

DE *ſingulis Orationum Generibus.* 218.
CAPUT I. De *Genere Exornativo.* ibid.
Artic. I. *Nonnulla, quæ huic generi propria ſunt.* ibid.
Artic. II. De *Panegyrico.* 219.
Artic. III. De *Præfatione.* 224.
Artic. IV. De *Genethliaco.* 225.
Artic. V. De *Epithalamio.* 226.
Artic. VI. De *Gratulatione.* 227.
Artic. VII. De *Gratiarum Actione.* 228.
Artic. VIII. De *Inauguratione.* 229.
Artic. IX. De *Oratione funebri.* 230.
CAPUT II. De *Genere Judiciali.* 231.

Ar-

# INDEX.


Artic. I. *Nonnulla, quæ huic generi propria ſunt.* ibid.

Artic. II. De Accuſatione. 232.

Artic. III. De Defenſione. 234.

CAPUT III. De Genere Deliberativo. 236.

Artic. I. *Nonnulla, quæ hujus generis peculiaria ſunt.* ibid.

Artic. II. De *Suaſione*, & Diſſuaſione. 238.

CAPUT IV. De Elogio, Dialogo, & *Hiſtoria*. 239.

Artic. I. De Elogio. ibid.

Artic. II. De Dialogo. 250.

Artic. III. De *Hiſtoria*. 251.


LI-

# LIBER SECUNDUS.

## *De Ligata Oratione.* 255.

### INSTITUTIO PRIMA.

DE *Poëſi universè ſpectata.* ibid.
CAPUT I. *Notio, & Natura Poëſeos.* 256.
CAPUT II. De *iis, quæ Poëſis habet cum ſoluta Oratione communia.* 258.
CAPUT III. De *ratione condendi facilè carminis.* 261.
CAPUT IV. De *Amplificatione poëtica.* 264.
CAPUT V. De *mutatione vocū in carmine.* 271.
CAPUT VI. De *Epithetorum uſu.* 277.
CAPUT VII. De *pedum concinnatione ad carminis venuſtatem.* 278.
CAPUT VIII. De *Poetica Dictione, ejuſq; Vitiis.* 284.
CAPUT IX. De *Figuris Poëticis.* 288.
*Figuræ, quæ adornatū ſpectant.* 289.
*Figuræ, quæ verſuum dimenſioni inferviunt.* 295.
CAPUT X. *Quid facto opus ſit, cùm ad Poëma conſcribendum accedimus.* 299.

### INSTITUTIO SECUNDA.

DE *unoquoque Poëmate ſingulatim.* 304.

CA-

| | | |
|---|---|---|
| CAPUT I. | *De Epigrammate.* | 305. |
| Artic. I. | *Epigrammatis notio.* | *ibid.* |
| Artic. II. | *Epigrammatis ſtructura.* | 307. |
| Artic. III. | *De Epigrammatis argutia.* | 309. |
| Artic. IV. | *In quo ſita ſit argutia.* | 310. |
| Artic. V. | *Qua arte inveniatur argutia.* | 317. |
| Artic. VI. | *Qua arte proponatur argutia.* | 319. |
| | *Formulæ proponendi argutias.* | 322. |
| CAPUT II. | De *Bucolico Carmine.* | 325. |
| Artic. I. | *Bucolici Carminis notio.* | *ibid.* |
| Artic. II. | *Ars ſcribēdi Bucolici Carminis.* | 326. |
| | *Tranſitionum Formulæ ad Bucolici Carminis facilitatem.* | 334. |
| CAPUT III. | *De Elegia.* | 338. |
| Artic. I. | *Elegiæ notio, & materia.* | *ibid.* |
| Artic. II. | *Elegiæ partes.* | 339. |
| Artic. III. | *De ſtylo Elegiaci Carminis.* | 350. |
| | *Tranſitionum Formulæ ad Elegiaci Carminis facilitatem.* | 352. |
| CAPUT IV. | De *Georgicis.* | 357. |
| CAPUT V. | De *Satyra.* | 359. |
| CAPUT VI. | De *Lyrica Poëſi.* | 361. |
| Artic. I. | *Lyricæ Poëſeos notio.* | *ibid.* |
| Artic. II. | *Lyricæ Poëſeos ſtylus.* | 362. |
| Artic. III. | *Lyricorum ſpecies Horationæ verſuum.* | 364. |
| Artic. IV. | *De Conjunctione verſuum in Odis Horatii.* | 368. |
| CAPUT VII. | De *Epica Poëſi.* | 372 |
| Artic. I. | *Quid ſit Epica Poëſis.* | *ibid.* |

Artic.

Digitized by Google

Artic. II. *Fictio Epopœjæ.* 374.
Artic. III. *Epopœjæ Partes.* 377.
Artic. IV. *Epopœjæ Stylus.* 380.
CAPUT VIII. De *Dramatica Poëſi.* 381.
Artic. I. *Quid ſit Drama.* ibid.
Artic. II. De *fictione Dramatis.* 383.
Artic. III. De *partibus Dramatis.* 384.
Artic. IV. De *perſonis, earũque moribus.* 387.
Artic. V. De *apparatu, & nomine Dramatis.* 388.
Artic. VI. *Tragœdiæ, & Comœdiæ diſcrimina.* 389.
CAPUT IX. De *Silva.* 392.
Artic. I. De *Poëmatis Silvarũ in genere.* ibi.
Artic. II. De *Singulis Silvarũ Poëmatis.* 394.
CAPUT X. De *Symbolis, Emblemate, Inſcriptionibus, Epitaphio, Anagrammate, Ænigmate, cæteriſque Ludis Poëticis.* 397.
Artic. I. De *Symbolis, & Emblemate.* ibid.
De *Symbolo Heroico.* 398.
De *Emblemate.* 400.
Artic. II. De *Inſcriptionibus.* 402.
Artic. III. De *Epitaphio.* 404.
Artic. IV. De *Anagrammate.* 406.
De *Anagrammate Literali.* 407.
De *Anagrammate Numerali.* 410.
Artic. V. De *Ænigmate.* 411.
Artic. VI. De *cæteris Ludis Poëticis.* 413.

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

# LIBER PRIMUS

## *DE SOLUTA ORATIONE.*

LIbrum hunc in quinque dividam Inſtitutiones. Prima de iis aget, quæ generatim ad Rhetoricam pertinent: Secunda de Epiſtolarum Artificio: Tertia de Aphthonii Progymnaſmatis. Quarta de Rhetoricæ Partibus ſingillatim: Quinta de ſingulis Orationum generibus, juxta tria Genera dicendi.

## INSTITUTIO I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

### De iis, quæ generatim ad Rhetoricam pertinent.

### CAPUT I.

*Rhetoricæ Natura.*

CIcero lib. 1. de Invent. cap. 10. de Rhetorica hæc habet: [ Officium ejus facultatis vide-

tur eſſe, dicere, appoſitè ad perſuadendum.] Quare Rhetoricam ſic definio: [Ars appoſitè dicendi ad perſuadendum.] Eſt autem Ars; quippe quæ quibuſdam conſtat præceptis; quæ ſi ritè ſervaveris, nunquam non ejus finem aſſequeris.

Additur illud [Dicendi appoſitè ad perſuadendum:] quia Rhetoricæ finis eſt, rem non modò argumentis confirmare; (quod etiam eſt Dialecticæ, quæ rationum pondera anguſtè omninò, preſsè, atque nudè proponit intellectui; quin illa enucleet, amplificet, & ad ſuadendum aptè componat:) ſed & audientium voluntatem ad rem eandem amplectendam inclinare: hoc enim ſibi vult illud: *Perſuadere*; ut ex Cicer. ad Att. apertè colligitur: [Hoc mihi non modò confirmavit; ſed etiam perſuaſit.]

Dixeris autem appoſitè non ad inclinandum modò Intellectum ad aſſenſum, ſed & Voluntatem ad agendum; cum & novis cognitionibus, firmiſque rationibus intellectum audientium erudieris; & voluntatem verborum delectu, cultâque dicendi ratione delectaveris; eandemque amplificatione, atque affectuum concitatione ſtudueris in tuam ſententiam trahere: quæ ſunt tria Rhetoricæ munera: Docere videlicet, Delectare, Movere.

Præcepta verò Rhetoricæ dicuntur nunquam non aſſequi finem ſuum, ſi ritè ſerventur; non quòd Orator perſuadeat ſemper: hoc enim audientium vitio aliquando non obtinebit: ſed quòd ſi ritè ſervaverit; nunquam non appoſitè ad perſua-

ſua-

ſuadendum dixerit: quod Rhetoricæ munus eſt, quo nunquam illa fruſtrari dicitur.

## CAPUT II.

### *Rhetoricæ Materia.*

MAteria, circa quam Rhetorica verſatur, eſt res quæcumque, de qua quæſtio aliqua, vel ſermo poteſt inſtitui. Cùm autem id fieri de rebus omnino omnibus poſſit; fit, ut Rhetoricæ materia nullis limitibus circumſcribatur. Atque hoc intereſt inter cæteras Facultates, & Eloquentiam; quòd illæ certis finibus continentur: ſic materia Artis pingendi ſunt figuræ; medendi, morbi; neque aliud præterea. Rhetorica verò, veluti campi Domina, in quamcumque partem excurrit, atque in materiem Scientiæ cujuslibet, cui in eloquendo præſidio eſt, & ornamento.

Materiæ autem hujus duo ſunt genera: alterum Infinitum, quod Græci Theſim vocant; Finitum alterum, quod vocant Hypotheſim. Theſis eſt, quæ præciſis circumſtantiis omnibus rei, loci, temporis, vel perſonæ; ſolùm universè quærit: v.g. [ An danda ſit literarum ſtudiis opera? ] Hypotheſis verò eſt; quæ habito ad has circumſtantias reſpectu, ſpeciatim aliquid quærit: v. g. [ An Cicero jure fuerit à ſuis in exilium pulſus? ]

Rurſus: materia hæc tribus dicendi generibus tota continetur: hæc ſunt Deliberativum, Judiciale, Demonſtrativum, quod & Exornativum, ſive



Digitized by Google

Epidicticum dicitur, Deliberativum genus ea complectitur, quæ ad Suaſionem, vel Diſſuaſionem pertinent: Judiciale, quæ ad Accuſationem, ſive Defenſionem: Demonſtrativum, quæ ad Laudem, aut Vituperationem.

## CAPUT III.

### *Rhetoricæ partes.*

QUinque ſunt Rhetoricæ, ſive Eloquentiæ Partes: Inventio, Diſpoſitio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio.

Inventio eſt: [ Rerum excogitatio, quæ in Oratione ſive ad rem proponendam, ſive ad firmandam, atque ſuadendam dici debent. ]

Diſpoſitio eſt: [ Rerum inventarum in ordinem diſtributio. ]

Elocutio eſt: [ Rerum diſpoſitarum per verba, atque ſententias idoneas expoſitio. ]

Memoria eſt: [ Rei totius concinnè expoſitæ recordatio. ]

Pronunciatio eſt: [ Vocis, atque geſtus apta moderatio in re perceptâ jam memoriter recitanda. ]

His autem omnibus Orator indiget: oportet enim invenire primò quid dicas, inventa diſponere, diſpoſita ornare verbis, poſt mandare memoriæ, tum ad extremum agere. De his partibus, quæ veluti membra ſunt Eloquentiæ, ſingulatim dicam Inſtit. 4.

CA-

## CAPUT IV.

### *Rhetoricæ Subſidia.*

QUatuor potiſſimùm ſubſidiis Eloquentia comparatur: Naturâ, Arte, Exercitatione, & Imitatione.

Natura præſtat acre, & celere ingenium, uber etiam, & ad res aptè diſponendas natum, felicem memoriam, vocem facilem, & canoram, vires firmas, aptam demum conformationem oris, & corporis totius.

Ars, certa tradit præcepta, quæ Viri ſapientes longâ naturæ animadverſione, atque uſu edocti, tradidere; quibus excolit, atq; perficit dona Naturæ.

Exercitatio quidquid Naturâ, vel Arte adeptum eſt, confirmat, auget, & efficit, ut faciliùs revocetur ad uſum. Ea triplex eſt, Lectionis, Scriptionis, & Memoriæ. *Lectionis* eſt, cùm lectiſſimum aliquem Auctorem legimus, quidquid Artis in eo eſt, adnotantes. *Scriptionis*, cum ſæpe aliquid attentè ſcribimus. *Memoriæ*, cùm memoriter aliquid ediſcimus de noſtris ſcriptis, vel alienis.

Imitatio præſtat, ut optimis Auctoribus, quos intento animo ſæpe verſavimus, ſimiles efficiamur in dicendo. Quoniam verò Imitatio utilis eſt omnibus; Tironibus verò omnino neceſſaria; de ea fuſiùs dicendum.

Pri-

Digitized by Google

Primò itaque non multos ſimul Auctores, ſed unum, vel alterum ſelige, quem imiteris, illumque præſtantiſſimum. In Oratoribus ſit Cicero, in Poetis Virgilius, quos qui principes negat eſſe omnium, nondum cæpit in hac arte proficere. Ad ſacras autem orationes hetruſco ſermone ſcribendas, non ſatis eſt unum Ciceronem legiſſe: oportet inſuper & D. Joannem Chriſoſtomum, & præſtantiſſimum illum Oratorem, nemini ex antiquioribus ſecundum, P. Segnerum ſedulò lectitare.

Secundò, optimo Auctore tibi propoſito, non omnia, ſed optima quæque ejuſdem ſeliges ad imitandum; iſta leges, ac releges in ſcribendo, ut faciliùs ſtylum Auctoris aſſequaris; illique proximè accedas, ut poteris. Horum autem nobilium locorum, Ciceronis præſertim, ut in promptu ſemper habeas, dabo complura, ubi de figuris agendum erit.

Tertiò ut non hæc modò loca, quæ per figuras efferuntur; ſed quidquid in Auctore boni eſt, facias tuum, excerpere opus eſt ab eodem quidquid in legendo notatu dignum offendes; phraſes nitidiores, verba quæcumq; nova, novoq; ſenſu, ſive flexu uſurpata, formulas ordiendi, continuandi, tranſeundi, laudandi, exaggerandi; ſententias præterea, ſimilitudines, acutiora dicta, cæteraq; omnia ornamenta ſermonis; quæ alphabetico ordine diſpoſita, memorialibus libellis conſignentur: unde in tempore depromantur ad uſum.

Quartò non ita ſcrupuloſè ſervanda eſt imitatio;



Digitized by Google

tio; ut more Pſittaci, non niſi alieno ore velis loqui; iis omnino repudiatis, quæ apud Auctores non inveneris: hæc enim indigna eſt Rhetore ſervitus. Quin & aude ultra progredi, & de tuo penu aliquid adde, & vince etiam, ſi potes, quos imitaris: facile enim eſt, ut habet vetus proverbium, inventis addere. Quod ut facilius aſſequaris; atq; infeſtum ſimul tironibus ſcopulum vites, reſcribendi ſcilicet Auctorum fragmenta, non imitandi: multiplicem recte imitandi viam doceo.

1. Auctoris ſententiam vel per amplificationem dilates, vel contrahas in pauca. Virgilius 1. *Geor.* dixerat: [Prima Ceres ferro mortales vertere terram inſtituit.] Locum hunc ſic amplificat Ovidius 5. *Metam.*

*Prima Ceres unco glebas dimovit aratro:*
*Prima dedit fruges, elementaq; mitia terris:*
*Prima dedit leges. Cereris ſunt omnia munus.*

Contra: quæ fuſe de Cæſare dixerat Cicero Pro Marcell. [Bellicas laudes ſolent quidam extenuare verbis, eaſq; detrahere Ducibus, communicare cum militibus; ne propria ſint Imperatorum.... At verò hujus gloriæ, Cæſar, quam es paulò ante adeptus, ſocium habes neminem: totum hoc, quantumcumq; eſt, quod certè maximum eſt, totum eſt, inquam, tuum. Nihil ſibi ex iſta laude Centurio, nihil Præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit.] Duobus carminibus ſic Recentior quidam concluſit.

*Gloria vincendi juncta eſt cum milite, Cæſar:*
*Cæſar, parcendi gloria tota tua eſt.*

2. Ex græcis Auctoribus deprompta, latina facias; vel ex alterutris vernacula. Sic Cicero Demoſthenem in Orationibus imitatus eſt, Platonem in Dialogis, in Topicis Ariſtotelem: Virgilius Homerum in Æneide, in Georgicis Heſiodum, noſtrum Theocritum in Eclogis expreſſit. Ex noſtratibus etiam Taſſus Virgilium, & alios, Segnerus Ciceronem imitari in multis conati ſunt. Dixerat Lucretius:

*Ac veluti pueris abſinthia tetra medentes*
*Cùm dare conantur, prius oras pocula circum*
*Contingunt mellis dulci, flavoque liquore:*
*Ut puerorum ætas improvida ludificetur*
*Labrorum tenus: interea perpotat amarum*
*Abſinthi laticem, deceptaq; non capiatur;*
*Sed potiùs tali facto recreata valeſcat.*

Hæc carmina ſic Taſſus perbellè imitatur. *Cant*. 1.

*Così a l'egro fanciul porgiamo aſperſi*
*Di ſoave liquor gli orli del vaſo:*
*Sughi amari ingannato in tanto ei beve,*
*E da l'inganno ſuo vita riceve.*

Dixerat Plinius Junior in Panegyrico ad Trajanum Auguſtum: *Enituit aliquis in Bello, ſed obſolevit in pace, alium toga, ſed non & arma honeſtarunt; reverentiam ille terrore, alius amorem humanitate captavit; ille quæſitam Domi gloriam, hic in publico partam, Domi perdidit. Poſtremò adhuc nemo extitit, cujus Virtutes nullo vitiorum confinio læderentur. At Principi noſtro &c.* Hanc Sententiam P. Paulus Segnerus ſic

imi-

Digitized by Google

imitatur in Panegyrico S. Joannis Evangeliſtæ. *Neppure Iddio nella ſua Chieſa ha voluto ſublìmare un Vomo medeſimo a tutti i gradi coſpicui di Santità. Ma chi, per ragion d'eſempio, è arrivato a tingere il manta con porpora di Martirio, non porterà sù la fronte aureola di Dottorato. Sarà ben altri chiaro per dono di Profezia; ma non ſarà per autorità di Vangelo; e chi in una man ſoſterrà bordone di Apoſtolo, non avrà giglio di Vergine ancor nell'altra.*

3. Quæ Oratores ſcripſere; in carmen convertas, vel e contra. Cicero cùm pro Rabirio diceret; inconditum adverſariorum clamorem e ſubſelliis ortum exaudivit: tum: [ Nihil me ( ait ) clamor ille commovet, ſed conſolatur; cùm indicet eſſe quoſdam Cives imperitos, ſed non multos. Nunquam, mihi credite, Populus Rom. hic, qui ſilet, Conſulem me feciſſet; ſi veſtro clamore perturbatum iri arbitraretur. ] In hanc eandem ſententiam Silius Italicus *lib.* 7. inducit loquentem Fabium Maximum ad milites adverſus Annibalem importunis clamoribus prælium poſtulantes.

*Fervida ſi nobis corda, abruptumq; putaſſent*
*Ingenium Patres, & ſi clamoribus, inquit,*
*Turbari facilem mentem; non ultima rerum,*
*Et deplorati mandaſſent Martis habenas.*

4. Servatis iiſdem verbis, atq; periodo; ſententiam immutes; verba in alium ſenſum transferendo: ſic Exordium 1. Catilin. *Quouſque tandem &c.* facilè erit in invectivam adverſus pecca-

cato-

Digitized by Google

catores convertere, qui Dei abutuntur patientiâ. Sic etiam illud Philip. 2. [ Non placet M. Antonio Conſulatus meus &c. ] poterit in hunc modum immutari: [ Non placet Lutero Paupertas ultro ſuſcepta : at placuit Apoſtolis, ut eos primos nominem, qui columen ſunt, atq; firmamentum Eccleſiæ : placuit Auguſtino, cujus ſemper in Eccleſia vivet auctoritas : placuit ſummis viris Hieronymo, Baſilio, duobus Gregoriis, Antonio, Franciſco ; quos qui reprehendat, à Chriſto neceſſe eſt defeciſſe. Sed quoniam illis, quos nominavi, tot, & talibus Viris Chriſtiana Reſp. orbata eſt, veniamus ad eos, qui religioſis in Cœtibus vivunt ] &c. ]

5. Retentâ ſententiâ, verba immutes vel omnia, vel magna ſaltem ex parte. Dixerat apud Virg. *lib.* 4. *Æneid.* Dido:

*Non tibi, Diva parens, generis nec Dardanus auctor,*
*Perfide; ſed duris genuit te cautibus horrens*
*Caucaſus, hyrcanæq; admorunt ubera tigres.*

Locum hunc ſic imitatur Ovidius.

*Te lapis, & montes, innataq; rupibus altis*
*Robora, te ſævæ progenuere feræ.*

6. Immutatâ ſententiâ, atque verbis, figuras, periodos, totumq; orationis ductum imiteris. *Cic. Phil.* 2. [ Hodie non deſcendit Antonius. Cur? dat natalitia in hortis. Cui? neminem nominabo: putatote eum Phormioni alicui, tum Gnatoni, tum Ballioni. O fœditatem hominis flagitioſam! &c. ] in verba hæc imitaberis. [ Nondum hodie

in

in Scholam venit Rufinus. Cur? domi ſe incluſum continet. Quid ita? ego verò non dico: credite eum ad meridiem uſque dormitare. O rem indignam! ò ignaviam ſingularem! ]

Cæterùm hac in re poſtremum hoc moneo. Non te pudeat (adoleſcentem loquor) ex probatis Auctoribus aliquid apertè furari, ita ut formulas aliquas, membra, & partem etiam periodi rebus tuis inſeras. Id tironibus laudi tribuitur, quod maturo homini vitio verteretur: ſic enim Centonem (ut ait quidam) ex aliena purpura contexes, paulò poſt daturus tuam.

# INSTITUTIO II.

## *De Epiſtolarum Artificio.*

UT per rerum faciliorum notitiam ſternatur via ad difficiliora cognoſcenda; ante quàm de Rhetoricæ partibus agere inſtituam; de Epiſtolis primùm, deinde de Aphthonii Progymnaſmatis dicam. Inſtitutionem verò hanc dividam in duo Capita; quorum primum de iis, quæ Epiſtolis omnibus ſunt communia; alterum de ſingulis aget Epiſtolis.

CA-

## CAPUT I.

### De iis, quæ Epiſtolis omnibus ſunt communia.

### ARTICULUS I.

*Quid ſit Epiſtola, & ejus Partes.*

EPiſtola eſt: [ Scripta animi ſententia ad abſentes. ] Epiſtolis namque utimur, ut animum noſtrum aperiamus abſentibus. Sex ſunt in præſentia partes Epiſtolæ: Proloquium, Exordium, Negotium, Clauſula, Subſcriptio, & Superſcriptio.

*Proloquium* ſtatim in Epiſtolæ fronte inſcribitur. Apud Veteres ſcribentis nomen habebat, tum ejus, ad quem ſcribebant, addito ejuſdem Officio, Dignitate, & Salutatione in hunc modum. M. T. C. Cæſari Imperatori S. D. hoc eſt: [ Marcus Tullius Cicero Cæſari Imperatori ſalutem dicit. ] Recentiores verò omiſſis nominibus, honoris Titulos ponunt illius, ad quem ſcribunt; pro ejuſdem dignitate; Tituli verò honoris pro regionum varietate, temporum, & perſonæ cùm ſuæ, tùm alterius diverſi ſunt; neque iidem æquè ab omnibus adhibentur: quare in illis conſuetudo magis ſervanda eſt, quàm lex ulla.

*Exordium* rei tractandæ viam ſternit, legentis animum nobis conciliando. Conciliandi verò ani-

Digitized by Google

animi ratio deſumi poteſt I. à Perſonâ noſtrâ, vel illius; commemorando mutuam præteritam neceſſitudinem, communem patriam, fidem, beneficia, ſimilia ſtudia, virtutes ejus, ac merita, à quibus rapimur ad ſcribendum. &c. II. à Perſonâ Majorum utriuſque, quòd ſumma familiaritate devincti mutuò fuerint, quòd aliqua inter eos propinquitas interceſſerit. &c. III. à Rebus ipſis; ſi dicemus, nos non noſtræ, ſed amici utilitati velle conſulere; vel rem tantam eſſe, ut ab unius ſumma amici prudentia ſubſidium petat. Hoc Exordio utimur, cùm ad eos ſcribimus, cum quibus nulla, aut vix ulla nobis familiaritas intercedit: cùm verò ad familiares ſcribimus, ad ſubjectos, vel ad eos, quibus in Epiſtola iraſcimur; ex abrupto exordimur: hoc eſt pauciſſimis, vel certè nullis ante negotium præmiſſis verbis, negotium ipſum ſtatim exponimus.

*Negotium* pars eſt Epiſtolæ potiſſima. In eam rem breviter, & dilucidè exponimus; ſervatis iis, quæ de ſingulis epiſtolis inferiùs tradam: rationes etiam, quæ rem, ubi opus fuerit, confirment, breviter proponemus.

*Clauſula* breviſſima eſt aliquando, in Familiaribus præſertim. v. g. [ Habes jam, quæ te ſcire cupiebam. Vale. ] aliquando longiuſcula, in qua obſequium noſtrum amico exhibemus; noſtroque, vel alieno nomine illi, vel aliis ſalutem dicimus. Solemus etiam Chriſtiani amicis ſuperna bona, Deique gratiam apprecari ſic: [ Deus te ſoſpitet. Te, tuaque omnia fortunet Deus.] Ad Clauſulam

etiam

etiam pertinet abſolutâ epiſtolâ, ſtatim ſub ejus calce, ſeparatâ lineolâ locum, in quo ſcribimus, adnotare in caſu ſtatus in loco: v. g. *Panormi*. Subintelligitur enim: *datæ literæ*; deinde Diem, Menſem, & Annum in eadem lineâ apponimus.

*Subſcriptio* apud Veteres in uſu non fuit. Recentiores, officiorum nimii, ſic illâ utuntur. Statim poſt lineas, quibus Epiſtola continetur, a parte dexterâ Epiſtolæ ponunt in caſu patrio grandioribus, & compendiariis notis Titulos Perſonæ, ad quam ſcribunt, reſpondentes proloquio: in fine verò totius paginæ a parte ſiniſtrâ ſuum nomen adnotant, præmiſſo titulo aliquo, qui obſequium ſignificat.

*Superſcriptio* in fronte clauſæ jam Epiſtolæ ponitur, & Perſonæ nomen habet, ad quam ſcribimus, cum ejus Titulis, Dignitatibus, atque Officiis. Cognationis verò gradus, ſi quis intercedit, ponitur ab aliquibus; a pleriſque verò omittitur, ne Auctor Epiſtolæ a quocumque dignoſcatur. Subnotatur deinde locus, in quo ille commoratur in caſu motûs ad locum. Cæterùm Proloquii, Subſcriptionis, & Superſcriptionis artificium ut tutiùs addiſcas, vide quid uſus ferat Regionis tuæ.

## ARTICULUS II.

### *Epiſtolæ Virtutes, & Stylus.*

VIrtutes quatuor ſervet Epiſtola; Decentiam, Claritatem, Brevitatem, & Venuſtatem.

*De-*

*Decens* erit, ſi eum cultum, atque habitum induet, quem rerum, & Perſonarum tum tuæ, tum alterius ratio poſtulat: ſic obſequioſa ſit, ſi Principi; gravis, ſi Subjecto ſcribas: jocoſa in ludicris, in ſeriis ſeria; aliter Seni, aliter Juveni ſcribitur.

*Brevis* erit Rerum, atque Verborum moderatione. Rerum, ſi amputatis rebus ſuperfluis, nihil habeat, quod redundet. Verborum, ſi rem brevibus verbis exponat, quin eloquentiam oſtentet ad pompam, ſed neceſſitate omnia metiatur. Non adeo tamen brevitatem colat, ut obſcura ſit, vel amicos contemnere videatur. Adoleſcentibus verò, quibus hæc ſcribo, Auctor ſum, ut ad copiam inclinent potiùs in ſcribendis Epiſtolis, quàm ad brevitatem: ætas enim maturior paulatim ſupervacaneam ubertatem depaſcet.

*Clara* erit, ſi nihil proponet, quod ægrè capiatur: ſi verba adhibeat, quæ non ſint remota à quotidiano loquendi uſu: ſi partes omnes ita diſponat, ut nullam pariant confuſionem, & obſcuritatem.

*Venuſta* erit, ſi nativo rerum colore, candidâque dicendi ſimplicitate rem explicet: ſi pro rerum, & Perſonarum varietate, Proverbiis, Veterum dictis, factiſque, Sententiis, Argutiis, Salibus gratiam legentis occupet.

Stylus tenuis ſit, illaboratus, & facilis in Familiaribus præſertim; in quibus nullo opus eſt artificio: ut enim à familiari colloquio, ita à familiaribus Epiſtolis omnem hanc curam abeſſe conve-

venit: grandiores itaque figuras; & longiores periodos refugit, inciſis contentus. Quòd ſi Perſonæ, ad quam ſcribimus, gravitas, aut rei tractandæ magnitudo id petat; poterit ſtylus eſſe cultior.

## CAPUT II.

### *De Epiſtolis in particulari.*

JUxta triplex dicendi genus, Deliberativum, Judiciale, Demonſtrativum, de præcipuis Epiſtolis agam quàm breviſſimè. Cùm autem Exordii, atque Negotii ſolius artificium non idem ſemper ſit; ſed pro Epiſtolarum varietate varietur; de his duabus partibus tantùm dicam, adjectis ad ſingulas Epiſtolas exemplis ex Familiaribus Ciceronis petitis.

### ARTICULUS I.

### Epiſtola Deliberativi Generis,

### *Suaſoria, & Diſſuaſoria.*

E*Xordium*. Capta primùm amici benevolentiam, juxta ea, quæ dixi, ubi de Exordio in communi. Cauſas item indica, quæ te ad ſcribendum impulerint.

*Negotium*. Rem breviter propone, quam voles amico ſuadere. Conſilium confirma rationibus,

Digitized by Google

bus, quæ ab his ſeptem capitibus petendæ ſunt: a Poſſibili, Neceſſario, Honeſto, Utili, Tuto, Facili, atque Jucundo. Quòd ſi rem diſſuadere velis; eam his capitibus opponi probabis. Notandum tamen, non in ſingulis Epiſtolis capita hæc omnia eſſe percurrenda: ſed ſatis erunt duo, vel tria, quæ opportuniora eſſe cenſebis.

Suaſorias Epiſtolas habes Lib. 2. Ep. 18. *Officium meum*. Lib. 4. Ep. 7. *Et ſi eo.* & Ep: 8. *Neque monere.* & Ep. 9. *Et ſi perpaucis.* L. 8. Ep. 16. *Exanimatus ſum*. Diſſuaſorias verò L: 10. Ep. 26. *Lectis tuis.*

*Reſponſio ad has Epiſtolas.*

*Exordium.* Amici in te benevolentiam lauda.

*Negotium.* Ejus conſilium commenda, teque illud ſequuturum pollicere, collaudatis ejus rationibus. Quòd ſi parere Amico nequiveris; modeſtè id ipſum propone; tum rationes adde, quæ te ab ejus conſilio retrahunt; ejuſque rationibus reſponde. Gratias demum age; ejuſque conſilio te uſurum in reliquis promitte.

*Conſolatoria.*

*Exordium.* Dolorem tuum declara, quem ex adverſis Amici rebus excepiſti. Ejus etiam fortitudinem, atque conſtantiam in adverſis commendare potes.

*Negotium.* Rationes affer, quæ valeant dolorem imminuere: hæ deſumantur vel ex eo, quòd hæc ſit humanæ vitæ conditio, ut multis malis ſit obnoxia; vel quòd malum diuturnum eſſe nequeat; vel quòd tam grave revera non ſit, ut ille cenſet;

vel quòd commoda etiam aliqua pariat; vel quòd inevitabile fuerit, & citra culpam acciderit; vel quòd Deus homines ſibi chariſſimos adverſis rebus premit, ut meritis cumulentur; vel demum ex eo, quòd laudabile ſit quam maximè divinæ voluntatis conſilio acquieſcere, doloremque noſtrum ratione temperare. Juvat etiam illuſtrium Virorum exempla proponere, qui pares caſus æquo animo ſuſtinuerint. Demum hortare, ut forti animo ſit, mentemque ab hiſce moleſtiis diſtrahat ad hilariora.

Lib. 4. Ep. 5. *Poſteaquam*. Lib. 5. Ep. 16. *Et ſi nunc*. & Ep. 17. *Non oblivione*. & Ep. 18. *Et ſi ego*. Lib. 6. Ep. 1. *Et ſi ea*.

*Reſponſio ad Conſolatoriam.*

*Exordium*. Age Amico gratias ob præſtitum tibi officium.

*Negotium*. Magnum te ſolatium ex amici literis cepiſſe dicito: rationum ejus momenta te verſaturum animo, ut dolorem omnino excludas, pollicetor; gratoque te animo futurum.

Lib. 4. Ep. 6. *Ego verò*. Lib. 5. Ep. 13. *Quamquam ipſa*.

*Petitoria.*

*Exordium*. Amici in te benevolentiam, atque humanitatem collauda. Merita erga illum tua, promiſſa etiam tibi ab eo facta, ſiqua ſunt, modeſtè commemora.

*Negotium*. Quod petis, breviter expone: facile id eſſe, atque honeſtum proba; tibi etiam valdè utile, vel neceſſarium. Excuſato petendi licentiam:

tiam: ſpem tibi eſſe firmiſſimam rei obtinendæ ſignifica; gratumque animum pollicere.

Lib. 3. Ep. 2. *Cùm & contra*. Lib. 5. Ep. 12. *Coràm me*. L. 6. Ep. 16. *Si mihi tecum*.

*Reſponſio ad Petitoriam.*

*Exordium.* Teſtare acceptas literas magnam tibi lætitiæ cauſam attuliſſe; quòd occaſionem amico gratificandi obtulerint.

*Negotium.* Velle te dicito Amico obſecundare: dolere tamen, rem illam levem eſſe ad Amici benevolentiam, & merita. Simile ſtudium in reliquis promitte. Quòd ſi neganda ſit res; tuam primùm in Amicum benevolentiam exaggera: teſtator tamen dolere te, quòd Amico gratificari non poſſis: ſtatimque validas affer rationes, quæ te dimovent à re concedēda: paratum te tamen eſſe, pollicere, ad reliqua exequenda, quæ volet.

*Commendatoria.*

*Exordium.* Amicitiam tuam cum Amico commemora, ejuſque in te benevolentiam, & humanitatem. Laudes ejus; quem commendatum vis, propone; atque titulos, quibus illi devinctus es.

*Negotium.* Eundem ampliſſimis verbis Amici patrocinio, atque fidei committe; quantùm id dignum ſit Amici humanitate, & meritis commendati hominis, oſtende. Gratum animum pollicere, non tuum modò; ſed & ejus, quem commendaſti; quos uno beneficio devincturum ſe exiſtimet.

Lib. 1. Ep. 3. *Aulo*. L. 2. Ep. 6. *Nondum erat*. L. 6. Ep. 9. *Cùm à Cæcinna*: L. 7. Ep. 5. *Vide quàm mihi*.



Digitized by Google

Reſponſionis artificium ad hanc Epiſtolam idem eſt, ac reſponſionis ad Petitoriam.

### *Communicatoria.*

Conſilium ab Amico petimus hac Epiſtola ſuper re aliqua facienda, vel omittenda.

*Exordium*. Dic multùm te fidere Amici prudentiæ, ejuſque in te benevolentiæ.

*Negotium*. Rem propone, de qua dubitas. Momenta rationum expende, quæ pro utraque militant parte. Conſilium ab Amico pete, quod te ut omnium optimum, ſequuturum pollicere.

### *Reſponſio ad Communicatoriam.*

*Exordium*. Quòd tantùm tibi deferat Amicus, gratias age.

*Negotium*. Conſilium tuum profer; rationeſque indica, quæ in eam te ſententiam inclinant. Rem tandem ejuſdem Amici prudentiæ remitte.

## ARTICULUS II.

## Epiſtolæ Generis Judicialis.

### *Accuſatoria.*

*EXordium*. Ex abrupto incipere optimum eſt, dolorem tuum explicando, quem ex Amici facinore cepiſti.

*Negotium*. Rem ipſam, qua doles, exaggera: ejuſdem gravitatem, omneſque circumſtantias, quæ momentum crimini, & pondus addunt, expone. Ne in idem in poſterum dilabatur, Ami-

cum

Digitized by Google

cum commone; atque ut errorem ſuum corrigat, & compenſet: te id certò ſperare dic ab homine prudentiſſimo, ſuæque famæ ſtudioſiſſimo.

Lib. 8. Ep. 12. *Pudet me.* Lib. 11. Ep. 3. *Literas tuas.*

*Reſponſio ad Accuſatoriam.*

Si objectum crimen verum eſt, hac ratione reſpondendum.

*Exordium.* Amici in te benevolentiam collauda.

*Negotium.* Fatere commiſſum crimen: teque ejus monitis obtemperaturum in poſterum promitte.

Quòd ſi injuſtè crimen inuſtum eſt; reſponſionis artificium dabit ſequens Epiſtola.

*Excuſatoria.*

*Exordium.* Hominis amicè monentis benevolentiam commenda.

*Negotium.* Nullam eſſe culpam aſſere; vel certè objectâ longè leviorem. Rationibus id evince. Nulla probatur eſſe culpa, ſi crimen juſtè in alium rejicis; ſi quod objicitur, dicis probari non poſſe; ſi accuſatorum exaggeras improbitatem; quibus ſi fides ſtatim habenda eſſet, nullus certe innocens inveniretur, ſi ex aliqua circumſtantia oſtendis te non commiſiſſe. Minuitur autem, ſi ex imprudentiâ, vel inconſiderantiâ commiſſam dicis, ſi coactè, ſi ex animi impetu; ſi aliquam neges facti circumſtantiam, quæ crimen aggravet. Negato demum ex illa te expoſtulatione cepiſſe offenſionem ullam; cum ex homine tui ſtu-



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.

ſtudioſiſſimo profectam ſcias: te tamen amicè monenti obtemperaturum in poſterum pollicere.

Lib. 3. Ep. 7. *Pluribus verbis*. & Ep. 8. *Et ſi quantum*: Lib. 5. Ep. 2. *Si tu, exercituſque*. Lib. 11. Ep. 27. *Nondum ſatis.*

*Deprecatoria.*

Aliquem deprecamur hac Epiſtolâ; ut nobis, vel alteri pro admiſſo crimine velit ignoſci.

*Exordium.* Amici humanitatem, facilitatemque lauda.

*Negotium.* Crimen tuum, vel alterius apertè fatere: dolorem Amici dolere te dicito, quem ex eo crimine cepit. Crimen tamen, ut potes, extenua ex capitibus modò relatis. Implora clementiam ejus; ſtudiumque ſervandæ ejuſdem amicitiæ, & emendationem pollicere.

*Expoſtulatoria.*

Querelam continet inter Amicos vel de intermiſſis literis, vel de aliqua amicitiæ lege violata.

*Exordium.* Ex Amici laudibus, vel certè joco aliquo procedat; ut ſubſequens querela leniatur.

*Negotium.* Id, unde doles, modeſtè propone: injuriam factam eſſe amicitiæ oſtende; rationibus confirma: te nihil tale ab Amico timere potuiſſe dicito; ſperare tamen tale aliquid cum in poſterum non commiſſurum.

Lib. 3. Ep. 6. *Cùm meum*. Lib. 5. Ep. 7. *Si tu.*

*Diſputatoria.*

*Exordium.* Amici ingenium collauda; teque multùm die illi tribuere.

*Ne-*

Digitized by Google

*Negotium*. Rem, de qua eſt quæſtio, in medium profer. Tuam ſententiam aperi. Rationes propone, quæ in eam ſententiam te ire compellant. Contraria argumenta diſſolve. Amicum demum roga; ut, ſi quid ei in contrarium occurrat, liberè exponat, ſuumque judicium proferat.

## ARTICULUS III.

### Epiſtolæ Generis Demonſtrativi.

### *Nunciatoria, ſeu Narratoria.*

*EXordium*. Benevolentiam tuam in Amicum commemora, quæ te impulerit ad ea ſignificanda; quorum notitiam utilem Amico, vel jucundam fore cenſuiſti.

*Negotium*. Rem ipſam breviter expone, & dilucidè, juxta leges Narrationis inferiùs tradendas. Lib. 5. Ep. 2. *Idibus Januarii*. & Ep. 5. *Tametſi nihil*. Lib. 2. Ep. 15. *Non potuit*. Lib. 4. Ep. 2. *Et ſi ſcio*. Lib. 5. Ep. 6. *Cùm ad me*.

### *Euchariſtica*.

*Exordium*. Beneficum Amici ingenium extolle.

*Negotium*. Beneficii magnitudinem exaggera, quòd citò tibi collatum ſit; quòd uberiùs, quàm auſus fueris petere, vel expectare; quòd aliquo Conferentis incommodo, quòd maximo tuo commodo, atque utilitate; quòd ultro, & te non petente; quòd nullo tuo merito; quòd poſthabitis multis omnino dignis, quòd præter expectatio-

nem, &c. Gratias deinde quàm ampliſſimas age. Gratum animum pollicere; neque te unquam tanti beneficii futurum immemorem.

Lib. 3. Ep. 13. *Quaſi divinarem*. Lib. 10. Ep. 4. *Gratiſſima*. Lib. 15. Ep. 11. *Quantæ tibi.*

*Reſponſio ad Euchariſticam.*

*Exordium.* Gratum Amici animum collauda. Gratiarum actionem dic neceſſariam non fuiſſe; immò maxima neceſſitudine prohiberi.

*Negotium* Collatum beneficium extenua. Nihil te unquam facturum dic, quod aut Amici merita, aut tuam in eum benevolentiam, aut ſua in te beneficia exæquet. Promitte, te majora daturum; ſi id feret occaſio.

Lib. 5. Ep. 11. *Grata tibi.*

*Gratulatoria.*

*Exordium*. Tuam benevolentiam in Amicum, atque neceſſitudinem, per quæ magnus cumulus ad tuam lætitiam acceſſit ex Amici felicitate, dic te ad gratulationem compuliſſe.

*Negotium.* Bonum ab Amico adeptum extolle: impar tamen eſſe teſtator ejus merito: ubi tum Dignitatis, v.g. tum Amici ipſius laus inſtitui poteſt: vota deinde, preceſque adde, pro Dignitatis, vel boni, quodcumque ſit, diuturnitate.

Lib. 2. Ep. 9. *Primum*. Lib. 15. Ep. 7. *Te & pietatis*. & Ep. 8. *Maxima*. & Ep. 9. *Marcellum.* & Ep. 12. *Et mihi.*

*Officioſa.*

Nihil negotii continet hæc Epiſtola; ſed tota in eo eſt, ut amicitiam foveat per humanitatis officia.

*Exor-*

*Exordium.* Tuam in Amicum benevolentiam commenda.

*Negotium.* Amicum hortare, ut tuâ operâ, & familiaritate utatur; ut ad te quàm ſæpiſſime ſcribat. Tuum oſtende Amici viſendi deſiderium; teque memorem dic tum præteritæ neceſſitudinis, tum beneficiorum, quæ ipſi refers accepta. Officium denique tuum eidem defer.

Lib. 6. Ep. 10. *Ego quanti.* Lib. 5. Ep. 8. *Quantum meum.*

*Feſtorum dierum Apprecatoria.*

*Exordium.* Familiaritatem, vel officium tuum, quo Amico obſtrictus es, commemora.

*Negotium.* Feſtos illos dies Amico fauſtiſſimos apprecare. Te Deum exorare dic, ut tuis votis annuat; eamque Amico fauſtitatem, quam exoptas, impertiatur. Cæterùm hæc Epiſtola plurimum artificii ab Officioſa deſumit.

Huic Epiſtolæ ut reſpondeas, vide quæ in reſponſione ad Euchariſticam dicta ſunt.

*Dedicatoria.*

Epiſtola hæc Libris, vel Theſibus, quæ in lucem eduntur, præmitti ſolet; & opus illud alicui dedicat, ejuſque nobis patrocinium comparat.

*Exordium.* Cauſas expone, quæ te ad opus tali Viro dicandum impulere. Hæ poſſunt eſſe, ſumma in ea re, de qua in opere agitur, Hominis eruditio; Humanitas, qua Viros eruditos complectitur; Neceſſitudo, qua illi obſtrictus es; Auctoritas etiam, quæ ſpem optimi patrocinii tibi facit adverſus Zoilos omnes conquiſiti. Hìc aptè hominis

minis laudatio contexitur ex Genere, Dignitatibus, atque Virtutibus.

*Negotium.* Librum quantâ potes demiſſione, atque ſtudio devove: quale ſit explica, & quò tendat: commoda etiam enumera, quæ ſperas ex illo in omnium utilitatem oritura. Libro ſatis cautum eſſe dices ſub tanti Mæcenatis auſpiciis. Hominem denique exora, ut illud obſequentis animi indicium benignè ſuſcipiat; ſuumque patrocinium ab opere, atque a te ipſo nunquam dimoveat. Epiſtola hæc longior reliquis eſſe poteſt, ſtylumque cultiorem poſtulat, ſenſuſque graviores, & qui magis ingenium ſapiant.

Ut autem facilior ſit ſcribendarum Epiſtolarum uſus, en tibi elegantiores Exordiorum, Tranſitionum, Digreſſionum, & Concluſionum formulas, quibus & in alio dicendi genere uti pro arbitrio licebit, ex Cicerone, aliiſque probatis Auctoribus decerptas.

### *Exordia cùm ad ſcribendum laceſſimus.*

EGo & ſi nihil habeo, quod ad te ſcribam; ſcribo tamen, ut tuas eliciam.

Scire cupio, quid agas, & quàm longum iſtum tuum diſceſſum à nobis futurum putes.

Jamdiu ignoro quid agas: nihil enim ſcribis, neque ego ad te his duobus menſibus ſcripſeram.

Nihil erat novi, quod ad te ſcriberem, niſi quòd mihi decretum eſt, neminem noſtris ad te literis inanem hinc dimittere.

Co-

Digitized by Google

Copioſiſſimam ad te Epiſtolam ſcribere geſt-ebat animus, ni & otium deeſſet, & propediem te ipſe videre decreviſſem.

Quærenti mihi jam diu, quid tibi potiſſimùm ſcriberem, non modò certa res nulla, ſed ne genus quidem literarum uſitatum veniebat in mentem.

Et ſi noſtratia omnia nuntiis, aut rumore ad nos perferuntur; tamen ea ſcribam brevi, quæ potiſſimùm te puto ex meis literis velle cognoſcere.

Dolui vehementer, ac ſæpè, N., binas meas ad te literas, proximo ſcriptas menſe periiſſe: periiſſe enim duco, quibus nihil adhuc reſponderis.

Doleo intermiſſam eſſe tam diu inter nos conſuetudinem dandi literas, quæ mihi erat multò jucundiſſima. Rogo te, quod quidem utriſque noſtrum fiat commodo, ut ad eam revertamur.

Non dubito quin tibi odioſæ ſint epiſtolæ quotidianæ, cùm præſertim nulla nova de re certiorem te faciam: ſed tamen euntibus ad te noſtris domeſticis, ut nihil ad te dem literarum, facere non poſſum.

## *Exordia cùm alicui reſpondemus.*

ACcepi literas tuas, aliam aliâ jucundiorem.

Accepi literas tuas binas, ad quas his unicis reſpondeo.

Va-

Variè me affecerunt tuæ literæ: nam partim lætа, partim triſtia continebant: Læta, quò te &c. Triſte illud, quòd &c.

Et ſi juſtâ, & idoneâ uſus es excuſatione intermiſſionis literarum tuarum; tamen, ne id ſæpiùs facias, te rogo.

Scriptâ, & obſignatâ jam Epiſtolâ, redditæ mihi ſunt literæ a te, plenæ novarum rerum, maximèque mirabiles.

Ut primùm otium, & tempus ſcribendi nactus ſum, duxi eſſe reſcribendum eis literis, quas ego abs te ſuperioribus diebus accepi binas.

Accepi perbreves tuas literas, quibus id, quod ſcire cupiebam, cognoſcere non potui. Cognovi autem id, quod mihi dubium non fuit.

Quamquam gratiarum actionem a te non deſiderabam, cùm te re ipſa, atque animo ſcirem eſſe gratiſſimum, tamen fuit ea mihi (fatendum eſt enim) perjucunda.

Tanti ſunt mihi literæ tuæ, ut nullo pacto credam poſſe me illis reſcribendo ſatisfacere: Tanta rurſus tua eſt humanitas, ut te boni conſulturum, quidquid a nobis proficiſcetur, exiſtimem.

Etſi multarum curis, atque oneribus ita premor, optime N., ut reſpirare vix poſſim: tamen, ut literis tuis amantiſſimè ſcriptis aliquid reſponderem, abjeci omnia, & officium, quod tibi a me debetur, habui antiquiſſimum.

Animi tui dotes, adoleſcens cariſſime, velut in ſpeculo tua repræſentavit epiſtola; quæ ſi tuo unius Marte confecta fuit, ſicuti fuiſſe nihil addubito,

bito, auſim tum mihi, tum ſeculo magnum quiddam de te polliceri.

Quòd te de literarum intermiſſione excuſas, facis tu quidem humaniter, ſed nihil, mihi crede, opus fuit, ut te apud me eo nomine purgares, qui & quantis occupationibus diſtineare, novi, neque de tuo in me amore quidquam dubitavi.

Quamquam me nomine negligentiæ tibi ſuſpectum eſſe doleo: tamen non tam moleſtum mihi fuit, accuſari abs te officium meum, quàm jucundum requiri, cùm præſertim, in quo accuſabar, culpâ vacarem.

### *Exordia, cùm reſpondemus ad Epiſtolam nobis gratam.*

MUlta me in Epiſtola tua delectarunt. Sed nihil magis, quàm quòd, &c.

Literæ tuæ, quò ſunt frequentiores, atque etiam longiores, eò mihi majorem afferunt voluptatem.

Quò magis præter ſpem acciderunt, hoc gratiores fuerunt tuæ literæ mihi non ſemel votis ardentiſſimis exoptatæ.

Gratæ mihi tuæ literæ fuerunt, ex quibus intellexi, quod etiam ſine literis arbitrabar, te ſumma cupiditate affectum eſſe videndi mei.

Reddita mihi tua eſt epiſtola, quæ vel hoc nomine fuit gratiſſima, quòd à N. venerit, homine longè gratiſſimo, & amantiſſimo noſtri.

Magna me voluptate affecerunt tuæ literæ, ex quibus perſpexi, vigere apud te, & memoriam ami-

amicitiæ noſtræ, & ſtudium propenſæ erga me voluntatis, quam ego habui ſemper cariſſimam ab eo uſque tempore, quo &c.

Gratum mihi eſt, quòd me de iis, quæ iſthic publicè, privatimque geruntur, tam accuratè facis certiorem, quòdque tuâ curâ, & amicorum ad me, & meæ ad amicos literæ perveniunt, cùm ſumus tam vaſto terrarum ſpatio disjuncti.

Redditæ mihi ſunt abs te literæ graviſſimæ illæ quidem, & optatæ, utpote amore illo tuo verè fraterno pleniſſimæ; ſed tamen quæ mihi voluptatem illam, quam ex tuis literis capere ſoleo, magna ex parte imminutam attulerunt: ſignificabant enim te in quartanam incidiſſe.

Jucundiſſimæ mihi fuerunt tuæ literæ, idque ipſum ſanè multis de cauſis. Primùm quòd tuæ, hoc eſt, &c. Deinde, quòd mirificam quandam tuæ erga me voluntatis ſignificationem habebant. Adde etiam, quòd perbellè ſcriptæ ſpem mihi affirmarunt non dubiam, talem te aliquando fore, qualem ego te, vel ingenio, vel diligentiá tuá fretus, multis futurum prædicaſſem.

Ego nullius literis æquè delector, ac tuis, ex quibus multiplicem capio tum fructum, tum voluptatem. Primùm ſive mecum litigas, ſive rides, ſive laceſſis, diſcedo doctior. Nihil enim abs te proficiſcitur adeò neglectum, quod aliorum quantalibet cura poſſit æquari. Deinde tuus iſte ſermonis torrens, meam expergefacit ſomnolentiam: tuus ardor meum frigus acuit: tua copia, nunquam non exuberans, jejunam exilitatem meam caſtigat.

*Exer-*

### *Exordia, cùm quempiam accuſamus de literarum raritate.*

DOleo tibi chartam deeſſe, ſi ejus inopiâ ad me & rariùs ſcribas, & breviùs.

Miror te ad me nihil ſcribere, & potiùs ab aliis, quàm a te de Republica certiorem me fieri.

Tu ad nos & rariùs ſcribis, quàm ſolebas, & breviùs: credo, quia nihil habes, quod me putes libenter legere.

Jam diu literas abs te nullas accipio: ſed ego in te voluntatem erga me ſummam, & ſingularem, ſpecto, non epiſtolas.

Iraſcor, nec liquet mihi an debeam, ſed graviter iraſcor, quòd a te tam diu literæ nullæ. Exorare me potes uno modo, ſi nunc ſaltem plurimas, & longiſſimas miſeris: hæc mihi ſola excuſatio vera, ceteræ falſæ videntur.

Et ſi magnam mihi putem fieri injuriam, quòd tot epiſtolis provocatus nihil reſponderis: humaniùs tamen eſſe duxi, peccare officio, quàm ſilentio diſſimulare injuriam. Audi igitur optime N. in quo ſtatu res meæ ſint.

Jam pridem nullas abs te accipio literas: ego verò binas ad te dedi eodem exemplo, de quibus nihil addubito, quin alteræ ſaltem ſint redditæ, quę erant bene longæ, & multis de rebus, quas ipſe, ni fallor, cupiebas cognoſcere.

*Exor-*

### *Exordia, cùm nos excuſamus de literarum raritate.*

DE literarum intermiſſione, ſine cauſa abs te accuſor.

Nec ſæpe eſt, cui literas demus, nec rem habemus ullam, quam ſcribere velimus.

Non committam poſthac, ut me accuſare de epiſtolarum negligentia poſſis. Tu modò videris in tanto otio, ut mihi par ſis.

Quòd nihil literarum ad te dedi, non id quidem cauſæ fuit, quod ſcribendi argumento deſtituerer, quo planè abundabam, ſed quòd, &c.

Nollem te exiſtimare, aut negligentiâ fieri meâ, aut oblivione noſtræ veteris amicitiæ, ut raras ad te dem literas: non enim ea cauſa fuit, ſed quod, &c.

Quòd ad te, jam diu nihil dederim literarum, non tam meis, quàm tuis occupationibus multis, & magnis adſcribas velim.

Vereor, ne literarum a me officium requiras, quas tibi, & jam pridem, & ſæpe miſiſſem, niſi quotidie lætiora, quæ ad te ſcriberem, expectarem.

Non auſus ſum dare ad te antehac quidquam literarum, quòd, cùm res non eſſet ulla digna, quæ ſcriberetur, inanem ſermonem literarum tibi injucundum fore putavi.

Quòd raras adhuc miſi ad te literas, ſcio rationem eſſe habitam à me occupationum tuarum: hac

enim

Digitized by Google

enim ſolâ impedior verecundiâ, ne te ſæpiùs interpellem, quamobrem tu nobis aliquam debes gratiam.

Peto a te, vir humaniſſime, ne me putes oblivione tui rariùs ad te ſcribere, quàm ſolebam; ſed aut gravitate valetudinis, qua tamen paululum videbar levari, aut quòd abſim ab Urbe, ut qui ad te proficiſcantur, ſcire non poſſim.

Et ſi pudet me poſt diuturnam ceſſationem nunc ad te ſcribere; tamen non dubito, quin, pro tua in amore conſtantia, meæ, ſi qua fuit, negligentiæ, benignus interpres ſis futurus; præſertim cùm nihil eſſet privati, quòd ſcriberem: Publica verò omnia copiosè ab aliis ad te perſcribi non ignorarem.

Mihi quidem nihil ſcito eſſe jucundius epiſtolis tuis: quas cùm lego, delector mirificè amore in me tuo: delector etiam ingenio, & ſcribendi elegantiâ.

## *Exordia, cùm ſeriùs alicui reſpondemus.*

NOli mirari, ſi tuis ſanè jucundis mihi, & ſuavibus literis ſeriùs reſpondi, quàm æquum fuit.

Non eſt quod ſuccenſeas nobis, ſi aliquantò tardiores fuerimus in ſcribendo; multa fuere impedimenta.

Diſtuli tuis reſpondere literis, quòd exiſtimavi fore, ut præſens præſentem alloquerere.

Non licuit mihi id, quod vehementer optavi,



Digitized by Google

aut celeriùs, aut uberiùs ad te ſcribere; quia adverſa valetudine, menſem amplius afflictatus, in hunc uſque diem convaleſcere adhuc omnino non potui.

Miraberis, & quidem non injuriâ, reſponſum a me literis tuis multò ſeriùs, quàm tu fortaſſe deſiderabas, & ipſæ literæ tuæ meritò poſtulabant. Id cur ita evenerit, paucis accipe.

Allatæ ſunt mihi tuæ literæ aliquantò ſeriùs, quàm dierum ratio poſtulabat: quibus in literis facilè amorem tuum erga me, & memoriam veteris noſtræ conſuetudinis recognovi: Sed quò minùs ad eas tum celeriter reſponderim, publica hæc negotia, quæ nos hìc anxios, & ſollicitos habent, aliquandiu retardarunt.

### *Exordia, cùm nos purgamus de literarum brevitate.*

PLuribus tecum verbis agere non licet, ita multis diſtrahor.

Vereor, ne putidum ſit ſcribere ad te, quàm ſim occupatus: ſed tamen ita diſtinebar, ut vix huic tantulæ epiſtolæ tempus habuerim, atque id ereptum è ſummis occupationibus.

Scio me frequenter ad te ſcripſiſſe; ſed ita laconicè, ut tibi videar non ſcripſiſſe: ita cogit ſtudiorum moles, quibus obruor. Nam ſi rationem ineas quid dandum ſit pietatis officiis; quid ſomno, quid valetudini, quid ſcribendis, recognoſcendiſque libris, facilè colliges quantulum ſuperſit tem-

temporis, quod epiſtolis ſcribendis impertiri poſſim.

*Exordia, cùm noſtram in amicum benevolentiam conteſtamur.*

MIram ſanè rem, & tibi, ut opinor, auditu jucundiſſimam, non potui non ad te perſcribere.

Nunquam futurum putaſſem, ut omnino mihi verba deeſſent, quibus tibi gratias agerem; ſed nunc, ut video, deſunt: nec facilè reperio, qua verborum formâ tibi explicem, quantùm tibi debere velim: quando tu vir iſta auctoritate, & præſtantiâ tantum laboris meâ cauſâ adieris.

Cùm neque haberem, quòd tua magnopere intereſſet a me ſcribi, & te ſcirem ſummis occupationibus aſſiduè diſtrictum; tamen faciendum mihi putavi, ut aliquid omnino ad te literarum darem: ad meum enim officium valde pertinet, te de nobis optimè meritum intelligere, & quo te ſtudio colam, & qua tuorum in me meritorum memoriam religione conſervem, quod, ut ſpero, conſequar literarum bono: nam ut remunerari unquam poſſim, ſperare vix audeo.

*Exordia quidpiam petendi ab amico.*

CUm, & mihi conſcius eſſem, quanti te facerem, & tuam erga me benevolentiam expertus eſſem, non dubitavi a te petere, ut, &c.

 Vide

Vide quæſo quàm ſint inſigni impudentia, nunquam mihi in mentem venis, niſi cùm egeo: opus eſt mihi, ad pauculos dies Ariſtotele de præceptis Rhetorices.

Niſi certò cognoſcerem tuam non ſolùm erga me ſummam, verùm etiam in omnes, tametſi alienos, bonarum literarum ſtudioſos non vulgarem benevolentiam, vererer profectò, mi N., in alieno præſertim negotio ſtudiorum tuorum tranquillitatem temerè appellare: verùm cùm ſciam, quàm non illibenter pro amicitia ſubinde renovanda, ab amicis tuis ſolliciteris, audacter te paucula pro amicis ſollicitaturus accedo.

### *Exordia agendi alicui gratias.*

GRatum erat tuum munuſculum, gratior epiſtola tam amica, gratiſſimus animus.

Immortales tibi ago gratias, agamq; dum vivam: nam relaturum affirmare non poſſum. Tantis enim tuis officiis non videor mihi reſpondere poſſe; niſi fortè ita ſenſurus es, ut me referre gratiam putes, cùm memoriâ tenebo.

### *Exordia cùm amicum conſolamur.*

OPtimi patris tui mortem, ut doleo vehementer, ita omninò felicem exiſtimo, qui ſic obierit, quando hac ſorte naſcimur omnes, nihilque diuturnum in rebus humanis, nedum perpetuum.

De

De patris obitu conſolarer te, ni perſuaſum haberem ægritudinem iſtam, quam in aliis lenit, adimitque tempus ipſum, in te ſingulari tua prudentia eſſe ſopitam.

*Exordia, cùm quid amico nuntiamus.*

QUo in ſtatu hìc omnes ſimus, accipe.

Quid hìc geratur, ſcire poteris ex eo, qui literas attulit.

Mitto librum, quem deſiderabas: ſeriùs tamen, quàm & tu voluiſti, & ego debebam. Ita mi N. diſtringor occupationibus, ut neq; reſpirandi ſit locus.

Coram me tecum eadem hæc agere ſæpe conantem deterruit pudor quidam penè ſubruſticus, quæ nunc exponam abſens audaciùs; epiſtola enim non erubeſcit.

Ornatiſſime vir, nihil erat hoc tempore magnopere dignum, de quo te interpellarem; ſed ad ſcribendum invitavit opportunitas tabellarii tum iturè, tum huc mox reverſuri.

*Exordium ſcribentis ad ignotum.*

QUòd ignotus ignotum meis literis inexpectatis interpellare ſim auſus, vir optime, non tam debes improbitatem accuſare meam, quàm benevolentiam.

*Exordium reſponſuri ad ignotum.*

BOni conſulam audaciam tuam, vir humaniſſime, qui ignotus ad ignotum ſcripſeris; ſi ut viciſſim boni conſulueris, quòd occupatiſſimus tam parcè reſpondeo, ut penè nihil reſpondeam.

*Tranſitiones.*

HAbes de N. cognoſce de N.

Uni Epiſtolæ reſpondi: venio ad alteram.

Nunc ea quæ à me perfecta, quæque inſtituta ſũt, cognoſce.

Dixi de . . . nunc dicam de . . .

Quando, quid tibi permittatur, cognoviſti: quid mihi placeat, puto te ſcire oportere.

Ergo hoc primum; ſequitur illud.

Sed hæc, quæ ſcripta ſunt ſuprà, eò ſpectant, ut horter, & ſuadeam: reliqua ſunt, quæ pertinent ad rogandum: ut . . .

Sed hæc hujuſmodi ſunt. Sed eſt . . .

Habes, ut breviſſimè potui: . . quæris deinceps . . .

Nunc ad ea, quæ ſcripſiſti.

Quoniam acta, quæ ſunt, habes, de reliqua noſtra cogitatione, cognoſce.

Quoniam reſpondi tuæ poſtremæ paginæ primâ meâ, nunc ad primam revertor tuam.

Hæc ſunt ferè in illa Epiſtola: Nunc audi reliqua.

Atque hæc de rebus forenſibus: Redeamus domum.

Nunc

Nunc venio ad privata; ferè enim reſpondi tuis literis de Repub: & iis, quas in ſuburbano ſcripſiſti. Nunc venio ad privata.

In hac parte hæc ſunt. Vide nunc, quæ ſint in altera.

Habes ad primam Epiſtolam. Secutæ ſunt duæ...

ſed hæc omittamus, de nobis aliquid agamus.

ſed ingero præterita. Vide, quæſo, igitur ea, quæ reſtant.

Caput illud eſt, quod ſcis. Sequitur, ut etiam quidquam mihi ipſi op us ſit.

ed hæc hactenus; illud extremum.

erſolvi primæ Epiſtolæ. Venio ad ſecundam...

Venio ad tertiam...

d acta miſſa: Videamus quæ agenda ſint.

d de ludis ſatis. Reliqua pars Epiſtolæ

ſcripſi ad omnia: nunc noſtra accipe.

teris tuis ſatis reſponſum eſt. Nunc audi, quod etſi intelligo, ſcribi neceſſe non eſſe; ſcribo tamen.

are hæc quidem hactenus. Quod reliqum eſt...

nio nunc ad id, quod neſcio, an primum eſſe debuerit.

ſcripſi Epiſtolæ maximæ: audi nunc de minuſcula, in qua primum eſt de...

nio nunc longo ſanè intervallo, ad quamdam Epiſtolam.

s multa de honoribus: nunc de pœna pauca unt dicenda.



Digitized by Google

### *Connexiones.*

SEd attende, quæſo, quæ ſint conſecuta.
Quid quæris? biduo factus eſt mihi familiaris.
Noli quærere.
Quid ſi cætera ſcribam? ſunt enim innumerabilia hujus generis.
Propè oblitus ſum, quod maximè fuit ſcribendum.
Audi reliqua.
Adde huc, quod.
Novi tibi quidnam ſcribam? quid? etiam ...
Si etiam hoc quæris.
Habes res Romanas: ſed tamen etiam illud, quod ego non ſperaram, audi.
Vide, quæ ſint poſtea conſecuta.
Quid quæris? nunc ad privata redeam?
Atque hoc loco illud non queo præterire, quod ...
Hæc ſunt, niſi etiam illud ad rem putes pertinere.
At, quoniam nummorum mentio facta eſt, amabo te.
Quid aliud? quid? hoc opinor
( Nam id te ſcire cupere, certò ſcio )
Sed pergo præterita
Nunc pergam ad cætera
Nunc ad ea, quæ quæris.
Quid quæris aliud? Judicia credo.
Nunc de N. habe abſoluto.
Sed accipe alia.
Quid aliud novi?
Habes ad omnia, etſi pene præterii.

Quid

Digitized by Google

Quid eſt prætereà? Nil ſanè, niſi illud?
Addo etiam illud. quod vereor, tibi ut probem
Sed extremum audi.
Sed heus tu.
Cognoſce nunc cætera.
Hoc igitur eſt hujuſmodi.
Et quod penè præterii.
Id te ſcire volui. Ne illud quidem prætermittam
Hæc ſunt. Etiam illud.
Adde illud.
Reliqua expediamus.
Illud tamen de . . .
Mitto hoc, cujuſmodi eſt?
Credo reliqua. quid?
Sed quid eſt, quod audio?
( Ut enim quidque ſuccurrit, libet ſcribere )
Sed heus tu, ne fortè ſis neſcius.
Nunc audi, quod pluris eſt, quàm omnia.
De reliquo, quid tibi ego dicam?
Ut aliud ex alio.
Quid præterea? quid? etiam . . .

## *Digreſſiones.*

Redeo ad illud, quod initio ſcripſi.
Sed ut, ad ea, quæ conjunctiora rebus tuis ſunt, revertar.
Sed ut ad rem redeam.
Ut ad initium revertar.
Quare ad prima redeo.
Huc ut venirem, ſuperior longiùs, quàm volui, fluxit

fluxit oratio.

Quorſum igitur hæc oratio longior, quàm putarã?

Sed redeamus ad illud, unde divertimus.

Sed ut redeam ad id, unde cœpi.

Sed quid ago? penè orationem in Epiſtolã incluſi: redeo ad altercationem.

Sed ut ad prima illa redeam

Sed ut ad rem.

Sed hæc adhuc. Nunc ad præterita revertamur.

Quò igitur hæc ſpectat oratio?

Ad propoſitum revertor.

Sed ad primum revertor.

Sed ad propoſitum.

Sed ad rem ut veniam.

## *Abruptiones.*

SEd aliter, atque oſtenderam, facio, qui ingredior ad explicandam rationem ſententiæ meæ.

Noſti cætera.

Verùm hæc videbimus.

Sed plura, quàm ſtatueram.

Sed de noſtris rebus ſatis, vel etiam nimiũ multæ.

Sed hæc ratio magis eſſet apta ad illa tempora, quæ jam effugiſti.

Sed quid ego, hæc ad te, cujus domi naſcuntur? nihil ſcilicet, niſi ut, reſcribens aliquid, me expectares. Sic igitur facies:

Sed plus facio, quàm N. mandavit. Is enim, ſi quid ego ſcirem, rogârat, quod tu neſcires:

Ego

Ego tibi ea narro, quæ tu meliùs ſcis, quàm ipſe, qui narro. Faciam ergo illud, quod rogatus ſum, ut eorum, quæ temporis hujus ſint, quæ tua intereſſe audiero, ne quid ignores.

Sed quid ago? cum mihi ſit incertum, tranquillone ſis animo, an, ut in bello, in aliquâ majuſcula cura, negotiove verſere, laboro.

Sed longiùs progredior. Scribo enim ad te.

Non tenebo te pluribus. Ponam in extremo, quod ſentio.

Verùm hæc hactenus.

Sed hæc hactenus.

Sed, ne plura (dicendum enim aliquando eſt)

Sed mihi minus libet multa de æquitate rei ſcribere, ne causâ potius apud te valuiſſe videar, quàm gratiâ.

Sin autem . . . Sed nihil eſt opus, reliqua ſcribere.

Sed nimis hæc multa de me, præſertim ad te.

De qua pluribus verbis nihil opus eſt.

Satis ſcis.

Ne multa.

Quare de hoc ſatis.

Sed acta, ne agamus. reliqua paremus.

Sed hæc ſuper re nimis:

Non queo omnia ſcribere. Vale.

Sed longa ratio eſt: Et tu fortaſſe occupatus es in meo aliquo negotio.

Sed neque hæc digna longioribus literis; nec erat, quod ſcriberem, & ſomnus urgebat.

Sed quid hæc levia curamus?

Sed

Sed quid iſta, quæ minus curo?
Sed nimium multa de nugis.
Hui, quamdiu de nugis! De re enim nihil habeo, quod loquar.
Sed quid argumentor?
Ne multa.
Sed ego nil dico amplius.
Scriberem plura, niſi ad te hæc ipſa, nimis multa eſſent...
Sed provehor amore; non enim id propoſitum eſt huic Epiſtolæ, ... ut laudem, præſertim ad N.

## *Concluſiones.*

QUare te rogo, meam cauſam agas, hoc exiſtimans, neminem me tui amantiorem habere.
Sed valebis, meaq: negotia videbis, meq: Diis juvantibus, ante brumam expectabis.
Vince igitur, & Vale.
Valete, mea deſideria, Valete.
Etiam, atque etiam vale.
Vale, mi Tiro, Vale, Vale, & Salve.
Ama nos, & Vale.
Vale, Salve.
Valebis igitur. & valere N. jubebis
Me velim, ut facis, diligas.
Cura ut valeas, & me, ut amas, ama.
Te valde amamus, noſque a te amari tum volumus, tum etiam confidemus.
Fac valeas, meq: mutuò diligas.



Digitized by Google

Te, ut diligas me, ſi mutuò te facturum id ſcis, rogo.

Tu, ut inſtituiſti, me diligas, rogo, propriéque tuum eſſe me, tibi perſuadeas.

Tu me amabis ita, ſi me hoc idem in te facere ſenſeris.

Bene vale, & me dilige.

Fac valeas, meq: ames.

Tu fac, quod facis, ut me ames, teq: amari a me ſcias.

Cura, ut valeas, & tibi ita perſuadeas, mihi te carius nihil eſſe, neque unquam fuiſſe.

Vale mea.... quam ego videre videor. Itaq: debilitor lacrymis.

A te, id quod conſueviſti, peto, ut me abſentem diligas, atq: defendas.

Valebis igitur, meq:, ut a puero feciſti, amabis.

Cura, ut valeas, meq: ames amore illo tuo ſingulari.

Tu interea non ceſſabis, . . . noſq: diliges.

Multùm te amamus.

Cura, ut valeas, & nos ames, & tibi perſuadeas, te a me fraternè amari.

Sic igitur facies, & me aut amabis, aut, quo contentus ſum, diliges.

### *Formulæ Subjiciendi aliquid poſt Vale.*

SCripta jam Epiſtola ſuperiore, accepi tuas literas de...

Hoc nondum fecerat, cùm priorem partem Epi-

ſtolæ

ſtolæ ſcripſi.
Literis ſcriptis, audivi.
Scriptâ jam Epiſtolâ, N. venit: Accepi tuam,
Cum hæc maximè ſcriberem: ecce tibi N.
Vix diſceſſerat cum Epiſtola . quid ais? putas ne fore, ut obſignatam jam Epiſtolam, cum ſubitò...
Cum complicarem hanc Epiſtolam, noctuabundus ad me venit cum Epiſtola tabellarius
Ecce tuæ literæ de . . .
Obſecro te, quid eſt hoc? obſignatâ jam Epiſtolâ...

# INSTITUTIO III.

## *De Aphthonii Progymnaſmatis.*

EX quatuordecim Aphthonii Progymnaſmatis, quæ Tyronibus proponuntur tanquam præexercitamenta ad Eloquentiam, quatuor ſolùm explicabo, Fabulam videlicet, Narrationem, Deſcriptionem, & Chriam. De reliquis aliquid dicendum veniet in IV, vel V. Inſtitutione.

# CAPUT I.

## De Fabula.

### ARTICULUS I.

*Quid ſit, ejuſq; Utilitas.*

FAbula eſt:[Sermo falſus veritatem effingens.] Sermo ſcilicet, qui, & ſi falſa, & ficta; tamen, ac ſi vera eſſent, enarrat.

Triplicem habet Utilitatem, ſi in loco, ac tempore illam uſurpes: Delectat, Docet, atque Movet. *Delectat*, quòd rei imitatio placere magis ſolet, quàm res ipſa: ſic pictam affabrè roſam libentiùs inſpicimus, quàm a natura progenitam. Hinc maximè valet ad attentionem conciliãdam. Et quidem Demoſthenes cùm de rebus graviſſimis apud Athenienſes ageret; illos oſcitantes, & aliò diſtractos lepidâ quadam fabellâ de Aſelli umbra ad attentionem revocavit.

*Docet* etiam: in ea enim veluti ob oculos ponit Orator, quæ vitia ſint fugienda, quæ procurandæ virtutes, quid in re dubia decernendum ſit. Tanta in hoc eſt vis Fabulæ, ut divinus Magiſter erudíturus homines, quorum gratiâ in terram venerat, *ſine Parabolis non loqueretur*: quò & rudi populorum captui, & Palæſtinorum conſuetudini ſeſe accommodaret.

*Movet* demum quàm maximè; & ad incendendam multitudinem ineruditam valet plurimùm:



Digitized by Google

rem enim apertè explicat,& quid in ea boni,quid mali ſit declarat. Sic Themiſtocles fabellâ de Vulpe Muſcis obſitâ perſuaſit Athenienſibus, ne Magiſtratus mutarent. Cave tamen,ne adeo frequens ſit uſus Fabulæ, ut Oratorem dedeceat,vel Audientium gravitatem, vel materiam,de qua diſſeris: quare in Concionibus ſacris omnino a fabulis poëtarum abſtinerem.

## ARTICULUS II.

### *Fabulæ Partes, & Artificium.*

CUm Fabulâ utamur ad vitam audientium rectè inſtituendam; non illam ſolummodo enarrat Orator; ũt delectet tantùm, non erudiat; ſed admonitionẽ aliquam narrationi addit; ad quam confirmandam, vel explicandam Fabula dirigatur. Quæ quidem Admonitio ſi Fabulæ præmittitur, Præfabulatio; ſi verò poſtponitur, Affabulatio vocatur.

Fabulæ verò Narratio ſit *Brevis*, *Perſpicua*, *Jucunda*, atq; *Probabilis*: quæ Probabilitas, ſive Veriſimilitudo Fabulæ comparatur; ſi talia cuiq; verba, mores, vel facta affingimus, qualia pro ſuo ingenio dicerent, aut facerent ea, quæ proponimus;ſi ipſis loquendum eſſet,aut tale aliquid agendum. Sic Vulpi eſt appingenda calliditas, Leoni generoſitas,Lupo rapacitas, Agno manſuetudo &c. Cæteras Narrationis Virtutes addiſces ſequenti capite.

AR-

Digitized by Google

## ARTICULUS III.

### *Quotuplex ſit Fabula.*

TRiplex eſt Fabula: Rationalis, Moralis, & Mixta.

Rationalis, quæ etiam Parabola dicitur, eſt, quæ fingit hominis dictum, vel factum quidpiam. Sit pro exemplo Phædri *Fabula* 14. *lib.* 3.

*Puerorum in turba quidam ludentem Atticus*
*Æſopum nucibus cùm vidiſſet, reſtitit;*
*Et quaſi delirum riſit: quod ſenſit ſimul*
*Deriſor potiùs, quàm deridendus ſenex;*
*Arcum retenſum poſuit in media via:*
*Heus (inquit) Sapiens, expedi quid fecerim.*
*Concurrit populus. Ille ſe torquet diu;*
*Nec quæſtionis poſitam cauſam intelligit.*
*Noviſſimè ſuccumbit. Tum victor Sophus:*
*Citò rumpes arcum, ſemper ſi tēſum habueris.*
*At ſi láxáris; cum voles, erit utilis.*
*Sic luſus animo debet aliquando dari.*

Moralis, quæ & vocatur Apologus, eſt, quã verba, atq; uſum rationis rebus affingimus ratione carentibus. Moralem fabulam habuit Menenius Agrippa ad Romanam Plebem; quam conſpirantem in excidium Patrum, eâ fabellâ cum Patribus conciliavit. Narrat hanc fabulam Livius *Dec.* 1. *lib.* 2. ſic: [Tempore, quo in homine non, ut nunc, omnia in unum conſentiebant; ſed ſingulis membris ſuum cuique conſilium, ſuus ſermo fue-

rat; indignatas reliquas partes ſuà curâ, ſuo labore, ac miniſterio ventri omnia quæri; Ventrem in medio quietum nihil aliud, quàm datis voluptatibus frui; conſpiraſſe inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira dum ventrem fame domare vellent; ipſa unà membra, totumq; corpus ad extremam tabem veniſſe: inde apparuiſſe ventris quoq; haud ſegne miniſterium eſſe; nec magis ali, quàm alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc, quo vivimus, vigemuſque, diviſum pariter in venas, maturè confecto cibo, ſanguinem. Comparando hinc, quàm inteſtina corporis ſeditio ſimilis eſſet iræ plebis in Patres, flexiſſe mentes hominum. ]

Mixta eſt, quæ Rationalem ſimul, & Moralem componit; homines, reſq; alias rationis expertes inter ſe colloquentes inducendo. Hujuſmodi eſt Fabula, quam habet Horatius *Epiſt.* 10. *lib.* 1.

*Cervus Equum pugnâ melior cõmunibus herbis*
*Pellebat; donec minor in certamine longo*
*Imploravit opes hominis, frænumq; recepit.*
*Sed poſtquam victor violens diſceſſit ab hoſte;*
*Non Equitem dorſo, non frænum depulit ore.*
*Sic qui pauperiem veritus, potiore metallis*
*Libertate caret; Dominum vehet improbus, atq;*
*Serviet æternùm, qui parvo neſciet uti.*

CA-

## CAPUT II.

## De Narratione.

### ARTICULUS I.

### *Quid, & Quotuplex ſit.*

NArratio eſt: [Rerum geſtarum, aut quaſi geſtarum expoſitio.] Additur illud [quaſi geſtarum] ut fabuloſam quoq; narrationem complectatur Definitio.

Triplex autem eſt: Poëtica, Hiſtorica, & Oratoria. *Poëtica* eſt, qua Poëta res fictas exponit. Hujuſmodi ſunt Poëmata, & Dramata omnia. *Hiſtorica* eſt, qua res geſtas memoriâ dignas Hiſtoricus enarrat. *Oratoria* eſt, qua Oratores ſive in rebus forenſibus, ſive in quavis alia declamatione utuntur. Hoc autem inter Hiſtoricam, atq; Oratoriam narrationem intereſt; quòd Hiſtoricus rem preſsè, nudè, atq; brevibus verbis enarrat, quin tendat ad concitandos affectus: Orator verò rem amplificat, figuris exornat, accuratè perpendit, ac varios ciet in auditoribus motus animi.

### ARTICULUS II.

### *Narrationis contexendæ Ars.*

PRæmittitur quandoque Narrationi quædam veluti ad illam præparatio, quæ ad eam exaudiendam excitet Auditorum animos. Cicero *pro*

*Roſc. Amer.* hæc Narrationi præmittit. [Forſitan quæretis, qui iſte terror ſit, & quæ tanta formido, quæ tot, ac tantos viros impediat, quominus pro capite, & fortunis alterius, quemadmodum conſueverunt, cauſam velint dicere? quæ res ea eſt? Bona Patris &c.]

Ut verò Narratio ipſa faciliùs contexatur, ſeptem habendæ ſunt ante oculos circumſtantiæ. 1. *Perſona agens*; cujus videlicet fuerit ætatis, ſexus, conditionis, & ſtatus. 2. *Res geſta*; ſi bona ſit, an mala; pœnâ, vel præmio digna. 3. *Locus*, in quo geſta ſit; ſi publicus, vel privatus, ſacer, an profanus &c. 4. *Inſtrumenta*, quibus res geſta ſit; an manu, an gladio, an aliorum operâ. 5. *Finis*, cur geſta res ſit; ſi ad bonum publicum, vel privatum, ſi ad vindictam, vel ad defenſionem &c. 6. *Modus*, quo geſta res ſit; ſi seriò, an per jocum, ſi ſtudiosè, an negligenter, ſi vi, aut fraude &c. 7. *Tempus*, quo geſta res ſit; ſi diurnum, vel nocturnum, ſi feſtum, aut profeſtum &c. Quæ omnes circumſtantiæ famoſo illo verſiculo continentur.

*Quis, Quid, Ubi, Quibus Auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.*

Hæ Circumſtantiæ ſi in re enarranda conſiderentur; facile erit Narrationem etiam ampliſſimam conſcribere: non quòd ſingulæ in ſingulis Narrationibus expendi debeant; aut eum, ſervare ordinem, quo recenſui: ſed ſatis erit, ſi eæ tantùm, & illo ordine proponantur, qui fuerit ad rem noſtram, & res ipſa enarranda poſtulaverit.

Valde etiam ad Narrationem contexendam juvat,

vat,ſi eam antea conceperis quàm breviſſimè;prænotatis tantùm capitibus ſimplici ſtylo, ſine ulla arte, vel amplificatione: tum verò adjectis cuiq; capiti circumſtantiis, facile erit, anguſtam rem illam amplificare,atq; Narrationem copioſiùs pertractare. Exemplo rem declaro.

*Compendiaria Narratio.*

[ Cæſar egregius adoleſcens, cùm timeretur Antonii reditus, ultro exercitum comparavit ſuis ſumptibus. ]

*Eadem per ſua capita amplificata.*

Sic eam amplificat Cicero *Philip.* 3.[Cæſar adoleſcens, penè potiùs puer; incredibili, ac divina quadam mente, atq; virtute; tum, cùm furor arderet Antonii,cùmq;ejus a Brunduſio crudelis,& peſtifer reditus timeretur; nec poſtulantibus,nec cogitantibus, nec opinantibus quidem nobis;quia fieri non poſſe videbatur;fortiſſimum exercitum, invicto genere veteranorum militum comparavit; patrimoniumq;ſuum effudit: quamquam non ſum uſus eo verbo, quod decuit: non enim effudit;ſed in Reip. ſalute collocavit. ]

Conquiſitâ jam materiâ, iiſque omnibus, quæ ad exponendas rei circumſtantias faciunt; eam temporis ſeriem in narrando ſerves; qua res evenit, vel fingitur eveniſſe. Partes verò Narrationis aptè nectas inter ſeſe. Ad hoc maximè conducunt quædam continuandi particulæ opportunè diſpoſitæ, quarum en aliquas: [ Ad ultimum, At, At vero, Autem, Cùm autem, Dum, Ecce, Enimverò, Ergo, Fortè, Hìc, Hinc, Haud mora, Jam,

Jamvero, Igitur, Interea, Interim, Itaque, Poſtquam, Poſtremò, Quî, Repēte, Sed, Ubi, Verò, Vix, Ut &c. ] quæ ſi aptè ponantur, ſatis perſpicuam reddunt Narrationem. En quàm appoſitè diſtribuantur in hoc fragmento Curtianæ narrationis: [ Itaque Rex ad deditionem metu poſſe compelli ratus, Oxartem miſit nationis ejuſdem, ſed ditionis ſuæ; qui ſuaderet Duci, ut traderet Petram. Interim ad augendam formidinem & turres admovebantur, & excuſſa tormentis tela emicabant: Itaque verticem Petræ, omni alio præſidio damnato, petiverunt. At Oxartes, &c. ]

## ARTICULUS III.

### *Narrationis Virtutes.*

QUatuor ſunt Narrationis Virtutes: Brevitas, Perſpicuitas, Probabilitas, & Suavitas. *Brevis* erit, 1. ſi nihil inutiliter repetet. 2. ſi narrandi initium non altiùs ſumet, quàm par eſt. 3. ſi puerilem, & ſuperfluam circumlocutionem effugiet. 4. ſi nihil dicet, quod ad rem non faciat. 5. ſi minimas res, & inutiles circumſtantias neglexerit. [ Hoſtem inſequitur, ſiniſtrâ comprehendit, educit dexterâ gladium, attollit, latus perfodit, interficit ] quid hoc putidius? an non ſatis fuiſſet dicere: [ Hoſtem inſecutus gladio interemit? ] Cavendum tamen, ne nimia brevitate in illud horatianum incidas. [ Brevis eſſe laboro, obſcurus fio. ]

*Perſpicua* erit, & clara, 1. ſi verba uſitata uſurpet, neglectis obſcurioribus. 2. ſi rem non interrupte

rupte

ruptè enarret. 3. ſi confuſas periodos, atque omnino perturbatas, & longiuſculas vitet: in quo facilè peccant Tyrones, qui poſtquam ita verba à ſua ſede deturbarunt; ut ad ea ordinanda integra pagina percurrenda ſit; *Elegantiam*, ſe feciſſe dicunt. 3. ſi cùm longior eſt Narratio, utatur partitione: ut *Cic. pro Quint.* [Oſtendam primùm cauſam non fuiſſe, cur a Prætore poſtulares, ut bona Quintii poſſideres: deinde ex edicto te poſſidere non potuiſſe: poſtremò non poſſediſſe.]

*Probabilis* erit, 1. ſi nihil narret, quod perſonis non conveniat, aut tempori, vel loco. 2. ſi Orator ipſe ſit notæ probitatis, & fidei. 3. rei expoſitio quandam habeat ſimplicitatis, atque candoris imitationem, ſine fuco, & ambagibus. 4. ſi facti circumſtantias perſequatur, & adjuncta loci, temporis &c. ex quibus maximè probabilitas petitur. 5. ſi ad rem firmandam probatiſſimorum hominum teſtimonium accerſat.

*Suavis* erit, 1. ſi verba uſurpet lecta, nitida, atque ſonantia. 2. ſi ſtylum accomodet rei v.g. læta jucundè, triſtia miſerabiliter, atrocia invidiosè, parva preſsè, magna prolixè efferat. 3. ſi varios animi motus interſerat, caſus inopinatos, atque feſtivos. 4. ſi perſonas inter ſe colloquentes inducat: in quibus locutionibus hæc verba adhibemus: Ait, Inquit, Reſpondit, &c. quibus, ut notant aliqui, participia eleganter præmittuntur: ſic Curtius: [Obequitans Alexander, ſimulque ad confertos cuneos protendens manus: Certandum, inquit, &c.]

## ARTICULUS IV.

### *Narrationis Ornamenta.*

PRimum eſto, ſi pro præterito præſens aliquando uſurpes; quod Hiſtoricis vulgare eſt, non rarum Oratoribus. *Cic. pro Amer.* [Interea iſte Ameriam venit: in prædia hujus invadit: hunc miſerum, luctu perditum, qui nōdum etiam paterno funeri juſta ſolviſſet, nudum ejicit domo; atque focis patriis, Diiſque penatibus præcipitem exturbat: ipſe ampliſſimæ pecuniæ fit dominus.]

Secundum eſto, ſi plura conglobentur infinita, ſuppreſſo verbo finito *Cic. Ver.* 6. [Iſte (Verres) unumquodque vas in manus ſumere, laudare, mirari: Rex gaudere, Prætori Populi Rom. ſatis jucundum, & gratum illud eſſe convivium: poſteaquam inde diſceſſum eſt; cogitare iſte nihil aliud, niſi quemadmodum Regem e Provincia ſpoliatum, expilatumque dimitteret] ſupple: *Cœpit*.

Tertium eſto, ſi plura participia, aut verba ejuſdem temporis apponantur *Cicer. pro Amer.* [Pater occiſus, nefariè domus obſeſſa, ab inimicis bona empta, poſſeſſio direpta, filii vita infeſta, ſæpe ferro, atque inſidiis appetita.]

Narratio vero oratoria: & ſanè Figuras ferme omnes admittit, ſed præcipuè *Hypotypoſim*, qua res non tam audiri, aut legi; ſed & oculis uſurpari videtur. *Exclamationem*, qua vehementior animi motus ſignificatur, & excitatur attentio. *Suſtentationem*, qua auditorum animos ſuſpenſos

ali-

aliquandiu tenemus, & incertos, quid ſimus dicturi. *Communicationem*, qua conſilium ab aliis petimus. *Dialogiſmum*, qua plures homines colloquentes inducimus. Sed de figuris fuſiùs *Inſtit.* IV. *Cap.* 3.

## ARTICULUS V.

### *Narrationis Exempla.*

SElectiſſima Hiſtoricæ Narrationis exempla ſunt in Livio: Certamen inter Horatios, & Curatios; *dec.* 1. *l.* 1. Sabinarum raptus; *ibid.* Audax Mutii Scævolæ facinus; *decade* 1. *lib.* 2. Cannenſe prælium *dec.* 3. *l.* 1. Annibalis iter in Italiam per Hiſpaniam, atque Galliam. *ibidem.* In Cæſare: Pharſalica pugna. *de Bello Civili l.* 3. In Salluſtio: Pugna etiam adverſus Catilinam. *de conjuratione Catilinæ.* In Curtio: Triplex Alexandri de Dario victoria *l.* 3. & 4. & 5. Obſidio Tyri, atque Petræ: *l.* 4. Abdalonymi eventus: *l.* 4. Mors Alexandri *l.* 10. &c. Ex his ſeligo Scævolæ facinus adverſus Porſenam Etruſcorum Regem, qui Romam obſidebat. Refert illud Livius *lib.* 2. *dec.* 1. his verbis.

[ C. Mucius, adoleſcens nobilis, cui indignum videbatur, Populum Rom. ſervientem, cùm ſub Regibus eſſet, nullo bello, nec ab hoſtibus ullis obſeſſum eſſe; liberum eundem populum ab iiſdem Etruſcis obſideri, quorum ſæpe exercitus fuderit: itaque magno, audacique aliquo facinore eam indignitatem vindicandam ratus, .... abdito intra veſtem ferro proficiſcitur. Ubi eò venit, in con-

confertiſſima turba prope regium tribunal conſtitit. Ibi cùm ſtipendium fortè militibus daretur, & Scriba cum Rege ſedens pari ferè ornatu multa ageret; eumque milites vulgò adirent; timens ſciſcitari, uter Porſena eſſet; ne, ignorando Regem, ſemetipſe aperiret, quis eſſet; quò temerè traxit fortuna facinus, Scribam pro Rege obtruncat. Vadentem inde quà per trepidam turbam cruento mucrone ſibi ipſe fecerat viam; cùm, concurſu ad clamorem facto, comprehenſum regii ſatellites retraxiſſent ante tribunal Regis; deſtitutus, tum quoque inter tantas fortunæ minas metuendus magis, quàm metuens: Romanus ſum, inquit, civis: C. Mutium vocant: hoſtis hoſtem occidere volui: nec ad mortem minùs animi eſt, quàm ad cædem fuit. Et facere, & pati fortia romanum eſt. Nec unus in te ego hos animos geſſi: longus poſt me ordo eſt idem petentium decus: proinde in hoc diſcrimen ſi juvat, accingere; ut in ſingulas horas capite dimices tuo.... Cùm Rex ſimul irâ infenſus, periculoque conterritus, circumdari ignes minitabundus juberet; niſi exprimeret properè, quas inſidiarum ſibi minas per ambages jaceret: En tibi, inquit, ut ſentias quàm vile corpus ſit iis, qui magnam gloriam petunt. Dextramque accenſo ad ſacrificium foculo injicit; quam cùm velut alienato ab ſenſu torreret animo; propè attonitus miraculo Rex, cùm ab ſede ſua proſiluiſſet, amoverique ab altaribus juvenem juſſiſſet: Tu verò abi, inquit, in te magis, quàm in me hoſtilia auſus. Juberem te macte

vir-

virtute eſſe, ſi pro mea patria iſta virtus ſtaret: nunc jure belli liberum te, intactum, inviolatumque hinc dimitto. Tum Mucius &c. ]

Oratoriæ narrationis exempla multa habes apud Ciceronem. Abſolutiſſimam omnium Milonianam reputo. Sunt & aliæ ejuſdem probatiſſimæ, ut Dolus malus, quo Pythius Syracuſanus Cannio impoſuit *Lib.* 3. *de Officiis*. Vita, & crimina Oppianici *pro Cluentio*. Qua ratione, Conjurationem Catilinæ detexerit *Cat.* 3. Sed Verrinæ potiſſimùm hiſce Narrationibus abundant; unam refero: Candelabri, quod Rex Syriæ Antiochus donum Jovi Capitolino deſtinaverat, furtum factum ab Verre, cùm Antiochus cum eo candelabro Syracuſis eſſet. Refert id *lib.* 4. *in Verrem*, per hæc verba.

[ Pervenit res ad iſtius aures neſcio quomodo: nam Rex id celatum voluerat; non quòd quidquam metueret, aut ſuſpicaretur; ſed ut ne multi illud ante perciperent oculis, quàm Populus Rom. Iſte petit ab Rege, ut ad ſe mittat: cupere ſe, dicit, inſpicere; neque ſe aliis videndi poteſtatem eſſe facturum. Antiochus, qui animo, & puerili eſſet, & regio; nihil de iſtius improbitate ſuſpicatus eſt. Imperat ſuis, ut id in Prætorium involutum quàm occultiſſimè deferrent: quò poſteaquam attulerunt, involucriſque rejectis conſtituerunt; iſte clamare cœpit dignam rem eſſe Regno Syriæ, dignam regio munere, dignam Capitolio. Etenim erat eo ſplendore, qui ex clariſſimis gemmis eſſe debebat; ea varietate operum, ut ars cer-

tare

tare videretur cum copias ea magnitudine, ut intelligi poſſet non ad hominum apparatum, ſed ad ampliſſimi Templi ornamentum eſſe factum. Quod cùm ſatis jam perſpexiſſe videretur; tollere incipiunt, ut referrent. Iſte ait ſe velle illud etiam, atque etiam conſiderare: nequaquam ſe eſſe ſatiatum. Jubet illos diſcedere, & Candelabrum relinquere. Sic illi tum inanes ad Antiochum revertuntur. Rex primùm nihil metuere, nihil ſuſpicari: dies unus, alter, plures: non referri. Tum mittit Rex ad iſtum, ſi ſibi videatur, ut reddat. Jubet iſte poſteriùs ad ſe reverti: mirum illi videri: mittit iterum: non redditur: ipſe hominem appellat: rogat, ut reddat. Os hominis, inſignemque impudentiam cognoſcite. Quod ſciret, quodque ex ipſo Rege audiſſet in Capitolio eſſe ponendum; quod Jovi O.M., quod Populo Rom. ſervari videret; id ſibi ut donaret rogare, & vehementer petere cœpit. Cùm ille ſe & Religione Jovis Capitolini, & hominum exiſtimatione impediri diceret; quòd multæ nationes teſtes eſſent illius operis, ac muneris: iſte homini minari acerrimè cœpit. Ubi videt eum nihilo magis minis, quàm precibus permoveri; repente hominem de Provincia jubet ante noctem diſcedere. Ait ſe comperiſſe, ex ejus Regno piratas in Siciliam eſſe venturos. Rex maximo conventu Syracuſis in foro; ne quis fortè me in crimine obſcuro verſari, atque affingere aliquid ſuſpicione hominum arbitretur; in foro, inquam, Syracuſis flens, Deos, hominesque conteſtans, clamare cœpit, Can-

dela-

delabrum factum e gemmis, quod in Capitolium miſſurus eſſet, quod in Templo clariſſimo Populo Rom. monumentum ſuæ ſocietatis, amicitiæ que eſſe voluiſſet, id ſibi C. Verrem abſtuliſſe. De cæteris operibus ex auro, & gemmis, quæ ſua penes illum eſſent, ſe non laborare: hoc ſibi eripi miſerum eſſe, & indignum. Id etſi antea jam mente, & cogitatione ſua conſecratum eſſet; tamen tum ſe in illo conventu Civium Rom. dare, donare, dicare, conſecrare Jovi O.M., teſtemque ipſum Jovem ſuæ voluntatis, ac religionis adhibere. Quæ vox, quæ latera, quæ vires hujus unius criminis querimoniam poſſunt ſuſtinere? &c.]

Poëticas Narrationes frequentes habes apud omnes Poëtas (his enim Poëtæ maximè delectantur) ſed præſertim apud Virgilium. *ut Georg. Lib.* 4. de Sene Corycio. *Æn. Lib.* 2. de Priami morte, & de Lacoonte a ſerpentibus interempto. *Lib.* 3. de Arpiis, & de Polyphemo. *Lib.* 4. de Didonis morte. *Lib.* 9. de Niſo, & Eurialo. Has perlege.

## CAPUT III.

### De Deſcriptione.

### ARTICULUS I.

#### *Quid ſit.*

Inter Deſcriptionem, atque Narrationem hoc unum videtur intereſſe, quòd Narratio ea re-

Digitized by Google

refert, quæ naturâ ſuâ ſucceſſiva (ut ajunt) ſunt, & temporis aliquo ſpatio continuantur, ut prælia, ludi &c. Deſcriptio verò res proponit, quæ actu totæ ſunt, ac permanentes dicuntur, ut viridarium, palatium, habitus, & cultus hominis. Deſcriptio præterea rei naturam penitus inveſtigat, atque propriis expreſſam coloribus veluti ob oculos ponit. Ejus itaque artificium ab Narratione petendum. De ea ſolùm reſtat, ut doceam; quot modis fiat.

## ARTICULUS II.

### *Quotupliciter fieri poſſit.*

1. PEr Cauſas: Cauſæ verò quatuor ſunt. 1. Efficiens; nempe rei Auctor. 2. Materialis; materia videlicet, ex qua res eſt. 3. Formalis; illud ſcilicet, per quod res eſt id, quod eſt, & a rebus aliis diſtinguitur; vel figura etiam, quam res habet. 4. Finalis, hoc eſt finis, ad quem res eſt. Has itaque rei cauſas vel omnes, vel aliquas explicando, deſcribi res optimè poteſt. En brevem domus Deſcriptionem per quatuor haſce cauſas. [ Quanti cenſenda eſt Domus iſta, quæ a ſapientiſſimo Artifice magno labore, atque induſtria de vivo, atque ſolido marmore excitata, eam formam ſervat; quæ non Cœli modò injurias propulſet; ſed & delectet obtutus; & uſui maximè ſit accommodata.]

2. Per Effecta. Cicero *Tuſc. Quæſt. l.* 5. Philoſo-

ſophiam ab Effectis deſcribit: [ O vitæ Philoſophia dux! ò virtutum indagatrix! expultrix vitiorum! quid non modò nos, ſed omnino vitam hominum ſine te eſſe potuiſſet? tu urbes peperiſti: tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſti: tu eos inter ſe primò domiciliis, deinde conjugiis; tum literarum, & vocum communione junxiſti: tu inventrix legum, tu magiſtra morum, & diſciplinæ fuiſti &c.]

3. Per inciſa rei naturam explicantia. *Cic.pro Domo ſua*. [ Quid Sergius? Armiger Catilinæ, ſtipator ſui corporis, ſignifer ſeditionis, concitator tabernariorum, damnatus injuriarum, fori depopulator, percuſſor, lapidator, obſeſſor Curiæ.]

4. Per ſimilitudinem: rem videlicet demonſtrando inſtar eſſe alterius, quam dum deſcribis, rem tuam in illa proponis. Lepidè Cicero Accuſatorum ingenium a Similitudine deſcribit *pro Amerino*. [ Facilè patimur eſſe quamplurimos Accuſatores: quòd innocens ſi accuſatus ſit, abſolvi poteſt: nocens, niſi accuſatus fuerit, condemnari non poteſt. Anſeribus cibaria publicè locantur, & canes aluntur in Capitolio; ut ſignificent, ſi fures venerint. At fures internoſcere non poſſunt: ſignificant tamen; ſi qui noctu in Capitolium venerint: & quia id eſt ſuſpicioſum; tametſi beſtiæ ſunt, tamen in eam partem potiùs peccant, quæ eſt cautior. Quòd ſi luce quoque canes latrent, cùm Deos ſalutatum aliqui venerint: opinor iis crura ſuffringantur; quòd acres ſunt etiam

etiam tum, cùm ſuſpicio nulla ſit. Simillima eſt Accuſatorum ratio. Alii veſtrum Anſeres ſunt, qui tantummodo clamant, nocere non poſſunt, alii Canes, qui & latrare, & mordere poſſunt &c.]

5. Per ea, quæ tunc fiunt, cùm res eſt, quam deſcriptam volumus. Cicero *pro Lege Agraria* ſic miſerum Reip. ſtatum deſcribit. [Ego qualem acceperim Remp., Quirites, intelligo, plenam ſolicitudinis, plenam timoris; in qua nihil erat mali, nihil adverſi, quod non boni metuerent, improbi expectarent. Omnia turbulenta conſilia contra hunc Reip. ſtatum, & contra veſtrum otium partim iniri, partim nobis Conſulibus deſignatis inita eſſe dicebantur. Sublata erat de foro fides, non ictu aliquo novæ calamitatis, ſed ſuſpicione, ac perturbatione judiciorum novæ dominationes, extraordinaria non imperia, ſed regna quæri putabantur.]

6. Ex habitu, cultuque corporis, aut ex vultu, vel geſtu. Utrumque præſtat Cicero *pro Sextio*, Piſonem deſcribens: [Alter, o Dii boni! quàm teter incedebat! quàm truculentus! quàm terribili aſpectu! unum aliquem te ex barbatis illis exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen Reip. diceris intueri. Veſtitus aſper; noſtra hac purpura plebeja, ac pene fuſca: capillo ita horrido; ut Capua, in qua ipſe tum imaginis formandæ causâ, Duumviratum gerebat, Seplaſiam ſublaturus videretur. Nam quid ego de ſupercilio dicam? quod tum hominibus non ſupercilium, ſed pignus Reip. videbatur: tanta erat

gra-

gravitas in oculo, tanta frontis contractio, ut in illo ſupercilio Reſp., tanquam Atlante Cœlum, niti videretur. ]

7. Per Enumerationem partium, quod uſitatiſſimum eſt. Cicero *in Verrem. Or.* 6. Syracuſas ſic deſcribit [ Urbem Syracuſas maximam eſſe græcarum urbium, pulcherrimamque omnium ſæpe audiſtis: nam & ſitu eſt cum munito; tum ex omni aditu vel terrâ, vel mari præclaro ad aſpectum; & portus habet prope in ædificatione, aſpectuque urbis incluſos: qui cùm diverſos inter ſe aditus habeant, in exitu conjunguntur; eorum conjunctione pars oppidi, quæ appellatur Inſula, mari disjuncta, anguſto ponte rurſum adjungitur. Ea tanta eſt Urbs; ut ex quatuor urbibus maximis conſtare dicatur: quarum una eſt ea, quam dixi, Inſula, quæ duobus portubus cincta, in utriuſque portus oſtium, aditumque projecta eſt. In ea Domus eſt, quæ Regis Hieronis fuit. In ea ſunt ædes ſacræ complures; ſed duæ, quæ longè cæteris antecellunt: Dianæ una, & altera Minervæ. In hac Inſula extrema eſt fons aquæ dulcis, cui nomen Arethuſa, incredibili magnitudine, pleniſſimus piſcium; qui fluctu totus operiretur; niſi munitione, ac mole lapidum a mari disjunctus eſſet. Altera autem eſt urbs &c. ]

8. A moribus, ſi homo deſcribendus eſt. Cicero *pro Cælio* ſic Catilinam deſcribit: [ Illa verò in illo homine mirabilia fuerunt: comprehendere multos amicitiâ, tueri obſequio, cum omnibus cõmunicare, quod habebat, ſervire temporibus ſuo-



Digitized by Google

rum omnium pecuniâ, gratiâ, labore corporis, ſcelere etiam, ſi opus eſſet, & audaciâ; verſare ſuam naturam, & regere tempus; atque huc, & illuc torquere, & flectere; cum triſtibus ſeverè, cum remiſſis jucundè, cum ſenibus graviter, cum facinoroſis audacter vivere.]

9. Per munera, & officia rei. Cicero *in Piſonem* ſic Conſulatum deſcribit: [ Animo Conſulem eſſe oportere, conſilio, fide, gravitate, vigilantiâ, toto denique munere Conſulatûs. Ego conſulem eſſe putem, qui Senatum in Rep. eſſe non putavit? & ſine eo conſilio Conſulem numerem, ſine quo Romæ ne Reges quidem eſſe potuerunt? .... qui latrones igitur, ſi quidem vos Conſules? qui prædones? qui hoſtes? qui proditores nominabuntur? Magnum nomen eſt, magna dignitas, magna majeſtas Conſulis: non capiunt anguſtiæ pectoris tui; non recipit levitas iſta. &c. ]

10. Per proprietates, & accidentia rei. Piſonem, & Clodium ſic deſcribit Cicero *pro Sextio*: [ Quid dicam Conſules? Hoccine ut ego appellem nomine (Tribuni plebis) everſores hujus Imperii, proditores veſtræ dignitatis, hoſtes bonorum omnium: qui ad delendum Senatum, affligendum equeſtrem ordinem, extinguenda omnia jura, atque inſtituta Majorum, ſe illis faſcibus, cæteriſque inſignibus ſummi honoris, atque Imperii ornatos eſſe arbitrabantur? ]

Cæterùm nihil vetat, quòd res eadem per plura ſimul a diverſis capitibus petita deſcribatur: ſic v.g. hominem poſſes deſcribere partim a moribus par-

Digitized by Google

partim a cultu, habituque corporis, partim etiam a partium enumeratione, vel a cauſis &c.

## CAPUT IV.

### De Chria.

### ARTICULUS I.

*Quid ſit, & quotuplex.*

CHria eſt [ Copioſior facti, vel dicti alicujus laude digni commemoratio ] Triplex eſt: Verbalis, Activa, & Mixta.

*Verbalis* eſt, quæ ſententiam explicat ſapienter ab aliquo prolatam: qualis eſt illa Ciceronis: [ Improbo bene eſſe non poteſt. ] aut Terentii ] Creſcit in adverſis virtus. ]

*Activa* eſt, quæ inſigne aliquod facinus exponit: ut illud Æſopi; qui juſſus convivium apparare rebus optimis inſtructum; nihil, niſi linguas intulit: & iterum peſſimis rebus juſſus convivium inſtruere; linguas iterum attulit. Quo facto id docuit: nihil linguâ melius eſſe, ſi bona; nihil pejus, ſi mala ſit.

*Mixta* eſt, quæ Activam ſimul, & Verbalem complectitur; factum alicujus, ac dictum exponendo, ut: Plato munditiei ſtudioſiſſimus, cùm Diogenem Philoſophorum ſordidiſſimum vocaſſet ad convivium, hic lutulentis pedibus tapetem calcans, quo cubiculi ſternebatur pavimentum, ait: [ Calco Platonis faſtum: ] cui Plato: [ Calcas;

 ſed

Digitized by Google

ſed alio faſtu.] Quo reſponſo Diogenis ſuperbiam reprehendit, ex ipſo laudis contemptu captantem laudem.

## ARTICULUS II.

### *Chriæ Partes, earumque Artificium.*

CHriæ, quæcumque ea ſit, octo ſunt partes: Laudatio, Paraphraſis, Cauſa, Contrarium, Simile, Exemplum, Teſtimonium Veterum, & Epilogus.

*Laudatio* pro exordio eſt. In ea laudes continentur Auctoris facti illius, vel ſententiæ, quam exponimus: ut per ejus commendationem accedat dicto illi, vel facto pondus, ac pretium. Laus iſta nimium prolixa non ſit, non ficta, non ultra meritũ exaggerata; ne avertat potiùs auditorum animos, ſe fabellis illudi exiſtimantes: congruat verò ſententiæ, vel facto, quod laudare inſtituimus: ſi enim ad mores illud facit, non erit Auctor laudandus a robore virium, vel ab arte bellica, vel muſica.

Laudationis hujus contexendæ multæ ſunt viæ: poterit enim Auctor laudari I. per inciſa quædam, quæ laudem ejus contineant; ut ſi de Cicerone diceres: [Cicero ſplendidiſſimus ille Curiæ Sol, Oratorum omnium Princeps, Romanæ eloquentiæ parens eximius: ille animorum triumphator &c.] vel II. a præclarè factis; vel III. a Virtutibus, quibus exornabatur; vel IV. a determinato virtutis genere,

re,

re, ad quod ſententia, ſive factum pertinet; vel V. a Comparatione aliqua; Auctorem cum aliis comparando, ac ſimul anteferendo. Sed de arte laudandi agendum fuſiùs *Inſtit.* V. *Art.* II.

*Paraphraſis* eſt Dicti, vel Facti liberior, & copioſior expoſitio. Si factum Chria commendat; illud enarret non preſsè, atque nudè; ſed ex omnibus circumſtantiis loci, temporis, perſonæ, cæteriſque illud inſpiciat, ponderet, admiretur, exornet. Quod ſi dictum exponit; conſule artem amplificandæ Sententiæ, quam dabo *Inſtit.* IV. *Cap.* II. *Art.* 3. Sed ne rem hìc jejunè omnino prætercam, ſatis erit ad Amplificationem Chriæ, ſi Dicti ſingulas voces expendas: ſic in Paraphraſi ejus Sententiæ: [ Audaces fortuna juvat. ] explica primò qui ſint *Audaces*; ii videlicet, qui pericula forti animo ſubeunt; qui minas, vulnera, mortem ipſam non horrent; qui inter maxima quæque diſcrimina laudem ſectantur. Deinde, quid ſit *Fortuna*: Dea videlicet cæca, atque volucris, dubia ſemper, & varia; quæ nunquam conſilio regitur; ſed pro arbitrio ſeſe inclinat, quò vult. Tertiò quomodo *adjuvet*: eos ſcilicet inter pericula, inter arma tuetur, cœptis ipſorum favet, obices amovet, labores minuit, atque ad metam uſque perducit.

*Cauſa* rationem affert, aut cauſam facti ejus, vel dicti: Sic v. g. ſit Sententia Chriæ verbalis illa Senecæ: [Etiam ſine Magiſtro vitia addiſcuntur.] Cauſa ejus eſſet naturæ noſtræ pravitas; quæ præſenti, atque ſenſibili dulcedine illecta, ad vitia

ultro dilabitur; quin indigeat ſuaſore aliquo, vel præceptore.

*Contrarium* petit, ut inveſtigato contrario Sententiæ tibi propoſitæ; inde aliquid inferas, quo rem tuam confirmes. Sic ſententiam Salomonis illam: [ Stultorum infinitus eſt numerus. ] ut confirmes a Contrario, dices: Sapientium numerum oppidò exiguum eſſe: quòd in quovis hominum cœtu aliquem verè ſapientem difficile erit invenire: quare neceſſe eſt ſtultos propè eſſe infinitos.

*Simile* aptam aliquam ſimilitudinem affert, qua res propoſita in bono, ut ajunt, lumine collocetur; atque ita magis, magiſque firmetur: v. g. Sententiam Platonis: [ Beatum terrarum orbem futurum, ſi Reges ſapere cœpiſſent.] illuſtraveris a ſimili, ſi dices: Quemadmodum naves, ſi a perito homine gubernentur, etiam inter tempeſtates in tuto ſunt; ita quæ a viro ſapiente adminiſtratur Reſp. tum pacis, tum belli tempore tranquillitate gaudeat neceſſe eſt, atque floreat.

*Exemplum* aliquod adduci debet, quo res propoſita comprobetur magis. Dixerat Famianus Strada: [ Principes nunquam ſoli peccant. ] Poterit pro exemplo hujus ſententiæ adduci Nero temulentiſſimus Imperator; cujus exemplo Roma tota in popinas abiiſſe viſa eſt. Præterea Heliogabalus, quo imperante, ita ad ejus exemplum libidinum vitia increverant; ut ne Philoſophi quidem turpiſſimis voluptatibus abſtinerent.

Teſti-

Digitized by Google

*Teſtimonium* petit, ut veteris alicujus laude digni teſtimonio res firmetur. Sic ſi hujus ſententiæ; [ Pecuniæ obediunt omnia ] teſtimonium a veteribus petendum eſt; Virgilianum illud poterit adduci: [ Quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames? ]

*Epilogus* Chriam claudit apta concluſione aliqua: artificioſè, atque breviter ea comprehendat, quæ per totam Chriam fuſiùs dicta ſunt; adjecta perutili admonitione, quæ congruat cum Sententia.

## ARTICULUS III.

### *Tranſitiones in Chria.*

TRanſitio eſt [ Nexus quidam Orationis, quo, dum ab una ad alteram ejus partem gradum facimus, illas aptè inter ſe connectimus; ut unum veluti corpus efficiant. ] Nihil his Tranſitionibus in Chria contexenda Tyronibus eſt difficilius: quare ut facilitati conſulam, aliquas ſubdo.

*A Laudatione ad Paraphraſim.*

Nihil ſapientius unquam, nihil magis rationi conſentaneum Seneca pronunciavit; quàm cùm hominum naturam in malum proclivem ſecum ipſe reputans, dixit: [ Etiam ſine magiſtro vitia addiſcuntur. ] Quod verum eſſe quis ambiget? &c.

Hoc in primis a Seneca non magis longo rerum uſu, quàm etiam cœleſti quodam monitu prolatum, contendo. *Etiam* &c. Atque ita eſt profectò &c.

Seneca ut multa ad honeſtæ vitæ inſtitutionem

præclarè ſcripſit;ita divinis quibuſdam ſententiis ſapientiam omnem complexus eſt; ut cùm ait: *Etiam* &c. Atque utinam ſua ipſum fefelliſſet opinio! ſed ſatis experimur, &c.

Ea in Senecæ ſcriptis perlego ſapientiſſima monita, quæ admiratione cuncta digna ſunt: illud tamen præ cæteris unum hodie diſcutiendum propono: *Etiam* &c. Hæc verba ſi ſuo perpendere momento velimus; liquebit profectò, quàm ſapienter a Seneca fuerint uſurpata &c.

*A Paraphraſi ad Cauſam.*

Quòd ſi rei hujus cauſam a me quæras; eam eſſe dicam &c.

Rogas unde hæc tanta facilitas oriatur vitia addiſcendi? non aliam ego cauſam dedero, niſi &c.

Neque verò mirum eſt, tam facilè addiſci vitia; nam &c.

Atque mihi rei hujus cauſam inveſtiganti, ea videtur eſſe potiſſimùm, quòd &c.

*A Cauſa ad Contrarium.*

Facile itaque eſt in pravos mores dilabi: at contrà, quàm difficile eſt bonos induere!

At ò miſerrimam hominum conditionem! quid faciliùs vitio addiſcimus? quid contrà virtute difficiliùs?

Atque utinam æquè ſaltem ad virtutem, atque ad vitium propenderemus! verùm virtuti, atque vitio nihil poteſt eſſe commune. Vix ſummo niſu ad virtutem pervenimus.

Nihil contrà homini difficiliùs, nihil magis ab homine ſejunctum eſt, quàm Virtus.

Quem-

Digitized by Google

*A Contrario ad Simile.*

Quemadmodum enim ſaxum pondere ſuo raptum, nullo etiam impellente, ad ima ruit; ita etiam ad vitia, nullo docente, properamus.

Enimvero quod in Fluminibus experimur, ut, niſi aggere contineantur, ſua ſponte dilabantur ad ima; hoc etiam &c.

Videte quanto niſu, quanta contentione opus eſt, ut ſaxum ex alto decidens medio curſu ſiſtamus: pari, mihi credite, diligentia, ne prolabamur in vitia, contendendum eſt.

Si ex veritate magis, quàm ex opinione velimus rem æſtimare; ecquæ alia eſt naturæ hominum ad vitia proclivitas; niſi quam habent ad centrum ſaxa, ad mare flumina, ignis ad Cœlum?

*A Simili ad Exemplum.*

Teſtes hoc loco appellare poſſem primos Parentes hominum; qui cùm non haberent a quibus ediſcerent vitia; a recto tamen virtutis tramite aberrarunt turpiſſimè.

Experti ſunt maximo ſuo malo, quod dicimus, primi Parentes hominum.

Verùm neque hic exemplis indigemus, ad rem hanc Sole clariorem confirmandam, dum primus hominum nobis exemplo eſt.

Neque id unquam novum ulli videri debet: an non hoc omnium hominum Progenitor expertus eſt?

*Ab Exemplo ad Teſtimonium.*

Neque verò aliud ſignificare voluit Salomon, ubi ait: &c.

Idem

Digitized by Google

Idem omnino ſentiebat ſapientiſſimus hominum Salomon &c.

Audite jam quid in eandem ſententiam Salomon dixerit &c.

Sed quid plura diſputo? en quàm præclarè Salomon eandem hanc ſententiam ſuo teſtimonio confirmavit &c.

*A Teſtimonio ad Epilogum.*

Quæ cùm ita ſint, quis jam aſſerat extra periculum eſſe quemquam, ne dilabatur in vitia? &c.

Jam verò, ſi ita res ſe habet; neminem eſſe puto hebetem adeo, atque ſtupidum, qui ſummo labore, ſtudio, diligentiâ a vitiis ſibi non caveat &c.

Fatendum igitur eſt, ei, qui bonos mores ſuos minimè depravari deſiderat, vigilandum eſſe, ne &c.

Cùm igitur tam facilè vitiis inficiamur; relinquitur id unum, ut nobiſcum ipſi reputemus, quantâ diligentiâ opus ſit, ne &c.

## ARTICULUS IV.

*Breve Chriæ Verbalis Exemplum.*

EXemplum, quod ſubjicio, ut ad conſcribendam expeditiùs Chriam Tyrones deducam, valebit etiam pro Activa, atque Mixta; cum eadem ſit omnium ars, eædem leges.

*Laudatio.*

Cùm eruditiſſimo cuique id maximè procurandum ſit, ut ſapientiam ſuam non ſterilem quodammodo,

modo, atque infructuoſam eſſe patiatur; ſed ad aliorum etiam utilitatem traducat; neminem tamen eſſe arbitror, qui hac in laude cum Salomone hominum ſapientiſſimo conferri valeat: is enim & omni doctrinæ genere fuerat divino quodam, & ſingulari beneficio ampliſſimè eruditus: & Sapientiæ ſuæ inſignia monumunta, ut poſteris eſſent uſui, nobis reliquit. Et ſanè ea legimus in ejus libris divina monita, quæ ad omnem honeſtatem informare eum valeant, qui illos feriò verſet: ſed illud in primis fore nobis utilitati exiſtimo: quod *Prov. c.* 13. protulit, cùm ait: [ Amicus ſtultorum ſimilis efficietur. ]

*Paraphraſis.*

Atque ita eſt profectò: ſi enim illorum familiaritate utaris, qui mores ſuos vitiis turpiſſimis corruperunt; neque quidquam ſtudent ad rectam virtutis normam operari; ſi horum lateri adhæreas, colloquiis delecteris; probè ſcito, brevi fore, ut animum tuum & ipſe iiſdem ſordibus inficias, atque in omnem cum illis ſocietatem vitiorum turpiſſimè venias.

*Cauſa.*

Neque verò rem ſuo pondere inſpicere volenti mirum erit, tam facilè addiſci vitia: tanta ſiquidem eſt ingenita in animis hominum ad malum propenſio, ut exemplo non opus ſit ad turpiſſima quæque perpetranda. Quantò igitur vehementiùs ad ea properabimus; ſi ſtimulus amicorum accedat, qui depravatiſſimis quâ verborum, quâ factorum exemplis ad omnem nos improbitatem com-

Digitized by Google

compellant? nihil eſt exemplo efficacius ad ſuadendum: facilè enim itur eâ viâ, quam tenent multi; quòd ſi hàc incedunt ii, quibuscum nobis ſunt res, conſilia, affectuſque communes; & nos hàc ire oportebit.

*Contrarium.*

O miſeram itaque hominum conditionem; dum aliorum vitia tam facilè induimus! At contrà quàm difficilè eſt honeſtiſſima amplecti proborum exempla; etiam ſi cum iis vivamus familiariter! Multos reperies, qui ingenuos inter adoleſcentes, inter honeſtiſſimos homines enutriti, eam tamen ſectantur vitæ rationem, quæ longè abhorreat a ſuorum familiarium inſtitutis: & quamvis maximè ad inſerendos bonos mores probitas amicorum conducat; tamen tanta eſt mortalium ad vitia quæcumque proclivitas; ut qui inter bonos malè vivant, multi inveniantur.

*Simile.*

Mihi verò rem attentiùs conſideranti videtur Virtus valetudinis bonæ naturam imitari; vitia verò ægritudinis: ut enim nemo unquam æger viſus eſt convaleſcere, quòd eorum familiaritate uſus fuerit, qui bene valent: multos contrà paſſim novimus, qui eadem contraxere morborum genera, quibus familiares ſui laborabant; ſic etiam vix quemquam invenies, bonorum uſu ad meliorem frugem rediiſſe; multos contrà bene moratos, qui depravatorum hominum conſuetudine eandem didicerint impuriſſimam vitæ rationem.

*Exem-*

Digitized by Google

*Exemplum.*

Neque ad firmandum quod dico, mihi longè petenda ſunt exempla. Salomonem ipſum produco; qui, etſi ſapientiæ ſuæ præſidio munitus; cùm tamen idololatras uxores duxiſſet, earum uſu eò nequitiæ brevi devenit; ut fana Idolis excitaret, ac muta ſimulacra ſacrificiis coleret. Auguſtinus etiam, eximium illud Eccleſiæ Lumen, apertè fatetur, perditorum hominum ſocietate ita è bonis moribus excidiſſe ſe; ut, dum virtus, & probitas inter ſodales irridebantur, commendabantur vitia; puderet ſe non eſſe vitioſum.

*Teſtimonium Veterum.*

Neque verò id Salomoni ſolùm patuit, quem Deo inſtitutore Sapientiam adeptum eſſe comperimus; ſed & prudenti cuique viro; Ethnicis etiam hominibus obſcurum non fuit. Id enixè Deos ſuos rogabat Apollonius Tyaneus, ut [Bonos noſceret, malos vitaret.] id unumquemque commonebant Philoſophi omnes; ne cum pravis hominibus conſortiones iniret, vel ut initas diſſociaret.

*Epilogus.*

Cùm itaque improborum hominum conſuetudine nihil bonis moribus inveniri poſſit pernicioſius, moleſtius nihil; id unum nobis reliquum eſt; ut ſapientiſſimo edocti Salomonis monito, diligenter cum animis noſtris conſideremus, in quas venire amicitias debeamus, quas verò devitare: ſic & vitiis omnibus expedire animum, & virtutes bene multas facilè nobis poterimus comparare.

IN-

Digitized by Google

# INSTITUTIO IV.

## *De ſingulis Rhetoricæ Partibus.*

HActenus ad Eloquentiam proluſimus: nunc ejus Partes explicandas aggredimur, quæ quinque omnino ſunt: Inventio, Diſpoſitio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio.

## CAPUT I.

### *De Inventione.*

INventio eſt [ Rerum excogitatio, quæ in Oratione ſive ad rem proponendam, ſive ad confirmandam, aut ſuadendam dici debent. ] Cùm enim Oratio aliqua condenda eſt, tria potiſſimùm invenire oportet. I, Propoſitionem. II. Argumenta ad eam probandam. III. Rationem tractandorum animi affectuum ad eandem ſuadendam. De his itaque hoc Capite agendum eſt.

### ARTICULUS I.

#### *De Inventione Propoſitionis.*

PRopoſitio eſt [ Summa rei, quam tota Oratione probandam aſſumimus, ut ſcopum Orationis totius ] e. g. [ Ineundum eſt prælium: Par-

cen-

Digitized by Google

cendum eſt reo. Sapientia cæteris bonis omnibus eſt anteferenda.]In Inventione Propoſitionis hujus enitendum eſt etiam, atque etiam,ut omnibus numeris ſit abſoluta: in ea enim, velut in parvo ſemine totius Orationis dignitas, & ratio continetur.

Multiplex ea eſſe poteſt. I. *Honeſta*; quæ videlicet audita, ſtatim honeſtate ſua Auditores demulcet: ut: [ Vitio nihil turpius ] II. *Incredibilis*, quæ rem nimirum proponit omnium judicio falſam: ſic Iſocrates Buſiridem crudeliſſimum hominem laudavit:ſicRecentiores nonnulli Umbram, Pediculum, Febrim, Podagram,aliaq; id genus orationibus commendarunt. III. *Problematica*, ſeu *Dubia*, quæ quæſtionem aliquam examinandam ſuſcipit: ut [ Pax cum hoſte ferienda ne eſt; an prælium ineundum?] IV. *Humilis*, quæ de re levis momenti agit;ut ſi tibi cum altero lis ſit de tribus capellis, ut ait Martialis. V. *Activa*, ſeu *Practica*, quæ docet aliquid faciendum: ut[ Vitanda ſunt improborum conſortia.]VI.*Speculativa*, ( ut ajunt ) quæ ſiſtit in ſola rei conſideratione: ut [ Modeſtia magnum eſt hominis ornamentum. ] VII. *Comparativa*; ut [ Optanda ſunt magis animi ornamenta, quàm corporis. ]

Jam verò,quæcumq; ea ſit, has habeat virtutes.

Sit I. *Clara*, & quidem ita, ut nullo labore intelligatur: quare verbis proponatur omnino obviis.

Sit II. *Brevis*: non itaque amplificetur, aut exornetur; ſed ademptis omnibus, quæ neceſſa-

ria

ria non ſunt, brevibus verbis tota concludatur.

Sit III. *Una*,& ſimplex:unicâ videlicet ſententiâ conſtet: ut [ Parcendum eſt huic. ]

Sit IV. Ad totam orationem ita *Accommodata*; ut nihil poſtea dicatur, quod ad eam, tanquam ad ſcopum non colliſmet.

Sit V. *Conveniens* tempori, loco, & perſonæ tum ſuæ, tum auditorum. In quo peccaret Orator, ſi læto tempore proponeret lugubria, aut aliquid ſupra captum auditorum.

Sit VI. *Utilis*, quæ præſertim a ſacris Oratoribus uſurpatur.

Sit VII, *Nova*, ut novitate ſua animos ſtatim erigat auditorum: quod in genere exornativo maximè curandum eſt; in aliis non ita. Innovabitur autem Propoſitio etiam trita; ſi aut problematicè proponatur. Trita eſt iſta: [ Scipio maximè patriam, etiam exul, adamavit ] nova fiet, ſi dices: [ Major ne fuit amor Scipionis in Patriam, cùm tot ejus hoſtes ſubegit; an cùm in exilium pulſus, lubens paruit? ] vel ſi ab Abſoluta in Comparativam convertatur. Abſoluta eſt iſta: [ Ultor ſibi nocet ] fit Comparativa ſic: [ Ultor ſibi magis nocet, quàm hoſti. ] vel demum ſi ad Paradoxum reducatur. Eadem propoſitio per Paradoxum ſic fiet: [ Ultor ſe ipſum ferit. ]

Sed in genere Judiciali,& Deliberativo propoſitionis Inventio non multùm negotii faceſſit Oratori: in iis enim propoſitio communis eſt: [ Parcendum eſt reo; Non eſt parcendum. Faciendum eſt hoc. Non eſt faciendum.] In genere verò exornativo,

nativo, in quo integrum eſt Oratori propoſitionem ſtatuere, quam velit; hactenus tradita præcepta ſerventur.

## ARTICULUS II.

### *De Inventione Argumentorum.*

ARgumentorum Inventio eſt [ Rerum verarum, aut veriſimilium excogitatio, quæ cauſam probabilem reddant. ] At unde hauriri debent res iſtæ, quibus cauſæ probabilitas comparetur? unde argumenta iſta deſumenda ſunt? Ut hoc edocerent Rhetores; res omnes, a quibus argumenta deſumi poſſunt, in quædam Capita, ac veluti Sedes diviſere, quas *Locos communes*, ſive *Topicos* vocant.

Horum Locorum duo ſunt genera: primum eſt eorum, qui *Intrinſeci* vocantur; quòd rei ipſi inhærent: alterum eorum, qui vocantur *Extrinſeci*; quòd a re ſejuncti ſunt, & remoti. Intrinſeci ſexdecim ſunt: [ Definitio, partium Enumeratio, Notatio, Genus, Species, Conjugata, Similitudo, Diſſimilitudo, Comparatio, Repugnantia, Contraria, Adjuncta, Antecedentia, Conſequentia, Cauſæ, & Effecta. ] Extrinſeci verò ſunt ſex. [ Præjudicia, Fama, Tormenta, Tabulæ, Jusjurandum, & Teſtes. ] Locos hoſce ſingillatim exponam; & de ſingulis quid ſint, eorumque uſum edocebo.



Digitized by Google

## De Locis Intrinsecis.

### *Definitio*.

Definitio eſt [ Oratio, qua quid res ſit, explicatur. ] Eam non æquè Logici, atque Rhetores uſurpant: illi enim rem paucis, ac jejunè admodum definiunt: Rhetor verò liberiùs, & ornatiùs definiendo rem explicat. Mitto Logicis ſiccum illum definiendi modum. De Rhetorica Definitione ajo multipliciter eam fieri poſſe; iis ſcilicet modis omnibus, quibus *Inſtit.* III. *Cap.* III. docui Deſcriptionem efferri: non enim a Deſcriptione diſtat Rhetorica Definitio. Eum itaque locum conſule, ubi & exempla reperies.

Loci hujus uſus eſt ad probandum, rem aliquam amplectendam eſſe, vel fugiendam: rem enim definiendo, oſtendes bonam eam eſſe, vel malam, quærendam, aut devitandam, vel aliud de ea decernendum. Cicero ex hoc loco probat, non a Milone Clodium, ſed Milonem a Clodio odio habitum. [ Quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem, ac materiam ſuæ gloriæ? Ille erat ut odiſſet primùm defenſorem ſalutis meæ, deinde vexatorem furoris, domitorem armorum ſuorum, poſtremò etiam accuſatorem ſuum. ]

Definitionem eleganter adhibet Cicero excludendo primò per Ironiam, vel Interrogationem id, quod res non eſt; veram deinde rei naturam edocendo. Sic *pro Domo ſua*: [ An tu Populum Rom. illum eſſe putas, qui conſtat ex iis, qui mer-

mercede conducantur? qui impelluntur, ut vim afferant Magiſtratibus? ut obſideant Senatum? optent quotidie cædes, incendia, rapinas? O ſpeciem, dignitatemque Populi Rom., quam Reges, quam nationes exteræ, quam gentes ultimæ pertimeſcant! Ille, ille Populus eſt Dominus Regum, victor, atque imperator omnium gentium &c.]

*Enumeratio Partium.*

Partium Enumeratio eſt [Oratio, quæ totum in ſuas partes diſtribuit] ſic Hominem in Animam, & Corpus dividimus; Ætatem in Pueritiam, Adoleſcentiam, Juventutem &c. Virtutem in Temperantiam, Juſtitiam, Fortitudinem &c.

Ad aliquid probandum hujus Loci triplex eſt uſus.

I. Cùm ad affirmandum totum, partes omnes affirmamus. Cic. *pro Lege Man.* ut probet, omnes provincias teſtari Pompei virtutem, ſic ait: [Teſtis eſt Italia, quam ille ipſe Victor L. Sylla hujus virtute, & conſilio confeſſus eſt liberatam. Teſtis eſt Sicilia, quam multis undique cinctam periculis non terrore belli, ſed celeritate conſilii explicavit. Teſtis eſt Africa, quæ magnis oppreſſa hoſtium copiis, eorum ipſorum ſanguine redundavit. Teſtis eſt Gallia, per quam Legionibus noſtris in Hiſpaniam iter, Gallorum internecione, patefactum eſt. Teſtis eſt Hiſpania, quæ ſæpiſſimè plurimos hoſtes ab hoc ſuperatos, proſtratoſque conſpexit. Teſtis eſt &c.]

II. Cùm ad negandum totum, partes omnes nega-



Digitized by Google

negamus. Cic. *Phil.* 4. negaturus Antonium ab ullo Conſulem exiſtimari, ſic habet: [ Negat hoc Brutus Imperator Conſul deſignatus, natus Reip. civis, negant Galli, negat cuncta Italia, negat Senatus, negatis vos. Quis igitur illum Conſulem, niſi latrones putant? ]

III. Cùm ad aliquam affirmandam ex partibus, quæ disjunctivè ſub aliquo toto continentur, alias negamus. Venit ad me non die, non ſub ortum, vel occaſum Solis; ergo noctu. Cic. *Phil.* 2. cauſam quærens, cur Antonius eſſe voluerit ejus inimicus, ait: [ Quid putem? Contemptumne me? Non video nec in vita, nec in gratia, nec in rebus geſtis, nec in hac mea mediocritate ingenii quid deſpiccre poſſit Antonius. An in Senatu facillimè de me detrahi poſſe credidit; qui Ordo Clariſſimis Civibus bene geſtæ Reip. teſtimonium multis, mihi uni conſervatæ dedit? An decertare mecum voluit contentione dicendi? Hoc quidem beneficium eſt: quid enim pleniùs, quàm mihi, & pro me, & contra Antonium dicere? Illud profectò eſt: non exiſtimavit ſui ſimilibus probari poſſe, ſe eſſe hoſtem Patriæ, niſi mihi eſſet inimicus.]

*Notatio.*

Notatio, ſeu Etymologia eſt [ Locus, per quem vim, originem, vel ſignificationem alicujus vocis exquirimus; ut inde aliquod argumentum deducamus: ] quod & ſi parum valeat ad probandum; eo tamen aliquando utimur, quòd delectat.

Locum hunc adhibemus, cum in nomine aliquo laudem, aut dedecus alicujus invenimus. Cicer.

*Verr.*

*Verr.* 6. ut Verris rapacitatem indicaret, ait: [Quid, unquam, Judices, hujuſmodi everriculum (*eſt Rete piſcatorum*, *græcè* σαγήνη *Sagena*) ulla in provincia fuit? ] & alibi in ejuſdem nomen jocatur, quaſi ſic dictum, quòd omnia verreret: [Quam tu domum, quod fanum adiſti, quod non everſum, atque exterſum reliqueris? ] His verò nominum jocis parciùs utendum.

*Genus, & Species.*

Locos hoſce ad unum Caput revoco, quòd inter ſe maximè ſunt connexi. Genus eſt [Totum quoddam multa ſub ſe continens; quæ etſi in aliqua ratione conveniunt, differunt tamen in alia.] Species verò eſt [Quodlibet ex illis multis, quod ſub Genere continetur. ] Sic Virtus eſt Genus, quòd Pietatem, Prudentiam, Fortitudinem &c. complectitur. Pietas verò, Prudentia &c. Species dicuntur.

Loci hujus uſus eſt, cùm Species ad Genus, nempe Hypotheſis ad Theſim transfertur: hoc eſt: ſi dicturi aliquid in Speciei alicujus commendationem, a Generis laudibus inchoamus: unde Speciei laudem facile erit deducere. Et quidem optimus quiſque Orator a ſingularibus perſonis, ac circumſtantiis ſemper, cùm poteſt, avocat ad generalia Orationem ſuam, ut latior pateat Orationi campus. Cic. *pro Archia Poëta*, commendaturus Archiam, Poëtas in genere prius laudat; deinde ad Hypotheſim redit: [Cæterarum rerum ſtudia, & doctrinâ, & præceptis, & arte conſtare: Poëtam naturâ ipsâ valere, & mentis vi-

viribus excitari, & quaſi divino quodam ſpiritu afflari. Quare ſuo jure noſter ille Ennius ſanctos appellat Poëtas, quod quaſi Deorum aliquo dono, atque munere commendati nobis eſſe videantur. Sit igitur, Judices, ſanctum apud vos hoc Poëtæ nomen; quod nulla unquam barbaria violavit. Saxa, & ſolitudines voci reſpondent. Beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur, atque conſiſtunt: nos inſtituti rebus optimis non poëtarum voce moveamur? Homerum Colophonii civem eſſe dicunt ſuum, Chii ſuum vendicant, Salaminii repetunt; permulti alii præterea pugnant inter ſe, atque contendunt. Ergo illi alienum, quia Poëta fuit, poſt mortem etiam expetunt: nos hunc vivum, qui & voluntate, & legibus noſter eſt, repudiabimus?] Quæſtio erat, utrum Archias eſſet civis Romanus.

Alter Loci hujus uſus eſt per Inductionem, de qua ſequenti *Cap. Art.* IV. agendum erit.

Notandum hic ſæpe ab Oratoribus nomen, quod eſt univerſalius, pro particulari uſurpari, ſive Genus pro Specie, ne tertio quoque verſu nomen idem reponant: ſic dicunt: Poëta, pro Virgilio, Orator, pro Cicerone, Homo, Dux, Miles pro aliquo particulari homine, duce, milite. Cic. *pro Quintio*. [Magnitudo periculi ſummo timore hominem affecit.] *Hominem* dixit pro Quintio.

### *Conjugata.*

Conjugata ſunt, [quæ ab uno orta vocabulo variè commutantur, ſeu conjugantur:] ut: [Lux, Lucidus: Sapiens, Sapientia, Sapientior. Militia, Miles, Milito.]

Lo-

Locus hic parum ad probandum, aliquid ad amplificandum valet. Cic. *pro Marcello* Cæſaris clementiam ſic laudat per Conjugata: [ Cæteros quidem omnes victores bellorum jam antea æquitate, & miſericordiâ viceras: hodierno verò die te ipſum viciſti. Vereor, ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu poſſit, atque ipſe cogitans ſentio. Ipſam victoriam viciſſe videris; cùm ea ipſa, quæ erat illa adepta, victis remiſiſti: nam ipſius victoriæ conditione jure omnes victi occidiſſemus: clementiæ tuæ judicio conſervati ſumus. Rectè igitur unus invictus es; a quo ipſius etiam victoriæ conditio, viſque devicta eſt. ]

### *Similitudo, & Diſſimilitudo.*

Similitudo eſt [ Rerum cœteroqui diſparium in re aliqua convenientia. ] ſic Somnus, & Mors dicuntur eſſe ſimilia; quia, etſi maximè diſtant; in eo tamen conveniunt, quòd utrumque ſenſuum, & rationis uſum homini interdicit. Diſſimilitudo verò eſt [ Rerum in re aliqua diſconvenientia, ſive diverſitas. ] ſic Mors eadem, & Somnus diſſimilia etiam ſunt in hoc, quòd illa ſenſuum, & rationis uſum extinguit omnino; hic verò intermittit ſolùm, & veluti ſopit. In quo vides, quòd ea, quæ in re aliqua ſimilia ſunt, oportet ſint, in alia diſſimilia.

Etſi parum eſt roboris Similitudini ad probandum; maximè tamen ad rem explicandam valet. Cic. *in Catil.* 1. ut oſtendat fore in periculo Remp. ſi ſolus Catilina puniatur, non autem cæteri, qui cum eo in Reip. perniciem conſenſerant, hæc ha-

bet:[Quòd ſi ex tanto latrocinio iſte unus tolleretur; videbimur fortaſſe ad breve quoddam tempus curá, & metu eſſe relevati: periculum autem reſidebit, & erit incluſum penitus in venis, atque in viſceribus Reip. Ut ſæpe homines ægri morbo gravi, cùm æſtu, febrique jactantur, ſi aquam gelidam biberint, primò relevari videntur: deinde multò graviùs, vehementiùſque afflictantur. Sic morbus, qui eſt in Rep. relevatus iſtius pœnâ, vehementiùs vivis reliquis ingraveſcet.]

Laudantur magnopere ſimilitudines illæ, quæ brevibus verbis concluſæ, rem ſtatim ante oculos ſiſtunt. Cic. *in Vatinium* [Repente te, tanquam ſerpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intuliſti.] Et ad *Quint. Fr. Ep.* 1. [Ut Gubernatores optimi vim tempeſtatis, ſic ſapientiſſimi viri fortunæ impetum ſæpe ſuperare non poſſunt.]

Similitudo quæcumque dupliciter adhiberi poteſt: I. Si pars utraque ſimilitudinis diſtinctè collocetur; ut in datis hactenus exemplis perſpicuum eſt. II. Si non rem principalem, ſed ſimilitudinem ſolùm, quam aſſumimus, per allegoricam locutionem proferamus in medium; in qua ſatis intelligitur ex contextu, quid dicere velimus. Cic. *pro Quint.* accuſationes cum telis ſic componit: [Ita fit, ut ego, qui tela depellere, & vulneribus mederi debeam; tum id facere cogar, cùm etiam telum adverſarius nullum jecerit.]

Inveſtigabis verò Similitudines duplici via. I. Quære in rerum natura aliquid, quod ſimile ſit

cum

cum eo, quod eſt explicandum. e.g. Fac velis explicare, quod Virtus in rebus adverſis dignoſcitur: aurum reperies, quod igne perſpicitur. II. Utere Notione locutionum metaphoricarum; quarum ſingulæ aptam ſimilitudinem præbent. Dicimus per metaphoram Amorem ardere: en Amoris ſimilitudinem in igne, cujus inſtar Amor vehementer operatur; neque ſcit ſe continere, vel abſcondere. Hominem nimis liberum, Effrænem vocamus: en iſtiuſmodi hominis in indomito equo, & effræni ſimilitudinem.

Diſſimilitudinis uſus non diſpar eſt. Sic ad aliquid laudandum, vel improbandum, rem diſſimilem adducimus; quam dum extollimus, illam deprimimus; vel contrà. Cic. *Phil.* 2. [ Non placet M. Antonio Conſulatus meus: at placuit P. Servilio; ut eum primum nominem ex illius temporis Conſularibus, qui proximè eſt mortuus: placuit Q. Lutatio, cujus ſemper in hac Rep. vivet auctoritas: placuit duobus Lucullis, M. Craſſo, Q. Hortenſio, C. Curioni, M. Lepido, C. Piſoni, C. Figulo, D. Silano, L. Murenæ, qui tum erant Conſules deſignati: placuit idem, quod Conſularibus, M. Catoni. Maximè verò Conſulatum meum Cn. Pompejus probavit, qui, ut me primùm decedens ex Syria vidit, complexus, & gratulans meo beneficio Patriam ſe viſurum eſſe dixit. Sed quid ſingula commemoro? Frequentiſſimo Senatui ſic placuit; ut eſſet nemo, qui mihi non ut parenti gratias ageret; qui non mihi vitam ſuam, liberos, fortunas, Remp. referret acceptam. ]

Va-

Valet etiam Diſſimilitudo, ut inter duo diſſimilia, quod uni competit, negetur alteri. Cic. *pro Murena*: [ Si L. Catilina cum ſuo conſilio nefariorum hominum hac de re poſſet judicare; condemnaret L. Murenam: ſi interficere poſſet, occideret: petunt enim rationes illius, ut orbetur auxilio Reſp; ut minuatur contra ſuum furorem Imperato uni copia. Idemne igitur delecti ex ampliſſimis ordinibus Sapientiſſimi Viri judicabunt, quod ille importuniſſimus gladiator, hoſtis Reip. judicaret? ]

## *Comparatio.*

Comparatio eſt [ cum duo, vel plura in tertio aliquo conferimus, quod illis commune ſit. ] ut, cùm quærimus: Uter in arte dicendi præſtantior fuerit; Cicero ne, an Demoſthenes?

Tria argumentorum genera præbet hic Locus.

Primum eſt a *Majori* ad *Minus*: cùm videlicet a negatione rei magis veriſimilis ( hoc enim *Majus* vocamus ) negandam minùs veriſimilem inferimus. Si integer exercitus urbem hanc expugnare non potuit; multò minus paucæ admodum turmæ. Cic. *pro Amer*. [ Etenim ſi Juppiter Opt. Max., cujus nutu, & arbitrio cœlum, terra, mariaque reguntur; ſæpe ventis vehementioribus, aut immoderatis tempeſtatibus hominibus nocuit, urbes delevit, fruges perdidit: at contrà commoda, quibus utimur; lucem, qua fruimur; ſpiritumque, quem ducimus, ab eo nobis dari, atq; impertiri videmus; quid miramur L. Syllam, cùm ſolus Remp. regeret, orbemque terrarum guber-

na-

naret, Imperiique majeſtatem, quam armis receperat, legibus confirmaret; omnia animadvertere non potuiſſe? ]

Alterum eſt a *Minori* ad *Majus*; cùm ex affirmatione rei minùs veriſimilis magis veriſimilem deducimus. Si Legio hæc integrum delevit exercitum; multò magis paucas turmas ſuperabit. Cic. *pro Lege Man.*[ Majores veſtri ſæpe Mercatoribus injurioſiùs tractatis bella geſſerunt: vos tot civium Rom. millibus uno nuntio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? Legati quòd erant appellati ſuperbiùs, Corinthum Patres veſtri totius Græciæ lumen extinctum eſſe voluerunt: vos inultum eum Regem eſſe patiemini, qui Legatum Populi Rom. Conſularem vinculis, ac verberibus, atque omni ſupplicio excruciatum necavit. Illi libertatem Civium Rom. imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? ]

Tertium eſt *a Pari*; cùm contendimus, ut, quod in re una valet, valeat etiam in re pari. Qui Cœlo fruuntur; virtute omnes, tolerantiâ, labore illud adepti ſunt: & nos igitur hac via oportet illuc contendamus. Cic. *pro Sylla*. [ Iſta conjuratio, ſi patefacta per me eſt, tam patet Hortenſio, quàm mihi: quem cùm videas honore hoc, auctoritate, virtute, conſilio præditum non dubitaſſe, quin innocentem Syllam defenderet; quæro, cur, qui aditus ad cauſam Hortenſio patuerit, mihi interclusus eſſe debuerit? ]

Comparatio valet etiam ad amplificandum, vel

ad

ad exaggerandum. Cic. *Ver.* 6. [ O præclarum Imperatorem; nec jam cum M. Aquilio fortiſſimo viro, ſed verò cum Paulis, Scipionibus, Mariis conferendum! ]

*Repugnantia.*

Repugnantia ſunt, quæ in eodem Subjecto ſimul eſſe non poſſunt: ut Vita, & Mors: Probitas, & Improbitas vitæ. Triplicis verò generis eſſe poſſunt: vel enim ſunt *Immediata*, vel *Mediata*, vel *Relata*. ( Dialecticorum leges in his vocibus uſurpandis non attendo. ) *Immediata* ſunt, quæ medium inter ſe non habent: ut Vita, & Mors; Scientia, & Inſcientia; Lux, & Tenebræ. Hæc ita mutuò ſeſe excludunt; ut nequeat unum abeſſe, quin adſit alterum. *Mediata* ſunt, quæ medium habent inter ſe; ut Album, & Nigrum; Sapientia, & Stultitia. Hæc, etſi nequeant ſimul eſſe; poſſunt tamen abeſſe ſimul: ſic Rubrum neque album eſt, neque Nigrum. *Relata* ſunt, quorum natura ea eſt, ut unum referatur ad alterum; neque alter exiſtere valeat ſine altero: ut Pater, & Filius; Servus, & Dominus. Hæc tria repugnantium genera non æquè ſuppeditant argumenta.

Repugnantia Immediata valent, cùm ad affirmandum de uno aliquid, negamus de altero: vel ex eo adeſſe unum probamus, quòd abeſt alterum; aut e contrà. Cic. *Philipp.* 2. [ Attende paulisper, Antoni, cogitationemque ſobrii hominis punctum temporis ſuſcipe. Etenim ego, qui ſum illorum, ut ipſe fateor, familiaris; ut a te arguor, ſocius; nego quidquam eſſe medium. Confiteor eos, niſi libe-

liberatores Populi Rom., conſervatoreſque Reip. ſint; plus, quàm ſicarios, plus, quàm homicidas, plus etiam, quàm parricidas eſſe: ſiquidem eſt atrocius Patriæ parentem, quàm ſuum occidere. Tu, homo ſapiens, & conſiderate, quid dicis? Si parricidæ; cur honoris causâ a te ſunt in hoc ordine ſemper appellati? Cur M. Brutus, te referente, legibus eſt ſolutus? Cur provinciæ Caſſio, & Bruto datæ? atque hæc a te. Non igitur homicidæ: ſequitur, ut liberatores tuo judicio ſint: quandoquidem tertium nullum eſt. Quid eſt? num conturbo te? ]

Repugnantia Mediata valent ad negandum alteri, quod uni concedimus; vel ad probandum abeſſe alterum, quòd unum adeſt. e. g. Amens non eſt; nam prudentem eum eſſe conſtat. Cic. *in Top.* [Si ſtultitiam fugimus, ſapientiam ſequamur; & bonitatem, ſi malitiam. ]

Relatis utimur, cùm probaturi unum ex relatis exiſtere, id ex eo inferimus, quòd alterum exiſtat, vel contrà. Præterea cùm contendimus debere ratione relationis concedi uni ex relatis, quod alteri conceditur. Cic. *pro Rabir.* [Hoc hominum generi propè naturâ datum, uti quæ in familia laus aliqua fortè floruerit, hanc fere qui ſunt ejus ſtirpis; quòd ſermo hominum ad memoriam prodendam patrum virtute celebretur, cupidiſſimè perſequantur. ]

*Contraria.*

Contraria, ſive Diſparata ſunt, quæ non ita inter ſe diſſentiunt, ut in eodem ſubjecto ſimul eſſe omnino non poſſint; ſed juxta communem hominum

### *Quis, Quid, Vbi, Quibus Auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.*

Adjunctorum uſus hic eſt, cùm ſcilicet ad aliquid exornandum, amplificandum, vel probandum, ea ex adjunctis colligimus, atque perpendimus, quæ faciant in rem noſtram. Quare inſerviunt I. ad aliquid deſcribendum. Cic. *Or.* 2. *in Catilinam* ejus ſocios ab adjunctis affectuum, & vitiorum ſic deſcribit; [ Non ſunt tam mediocres hominum libidines, non humanæ audaciæ, ac tolerandæ. Nihil cogitant, niſi cædes, niſi incendia, niſi rapinas. Patrimonia ſua profuderunt; fortunas ſuas obligurierunt. Mores, eos jampridem, fides deficere nuper cœpit: eadem tamen illa, quæ erat in abundantia, libido permanet: qui accumbentes in conviviis, vino languidi, confecti cibo, ſertis redimiti, unguentis obliti eructant ſermonibus ſuis cædem bonorum, atque urbis incendia. ]

Inſerviunt II. ad exaggerandum. Cic. *Philip.* 2. turpe Antonii facinus ab adjunctis loci, officii, & circumſtantium ſic exaggerat. [ Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate tantùm vini in Hippiæ nuptiis exhauſeras; ut tibi neceſſe eſſet in Populi Rom. conſpectu vomere poſtridiè. O rem non modò viſu fœdam; ſed etiam auditu! Si inter cœnam, in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret? In cœtu verò Populi Rom. negotium publicum gerens Magiſter Equitum, cui ru-



Digitized by Google

ctare turpe eſſet, is vomens fruſtis exculentis, vinum redolentibus, gremium ſuum, & totum tribunal implevit ]

Inſerviunt III. ad probandum. Cic. *pro Sylla* per adjuncta loci, & temporis, probat Syllam in conjurationem non conſenſiſſe. [ Si ſe cum Catilina ſocietate ſceleris conjunxerat; cur ab eo diſcedebat? cur cum Antonio non erat? cur in pari cauſa non paria ſigna criminis reperiuntur? Hoc tempore, cum arderet acerrimè conjuratio; cùm Catilina egrederetur ad exercitum, Lentulus in urbe relinqueretur, Caſſius incendiis, Cethegus cædi præponeretur, Antonio, ut occuparet Etruriam, præſcriberetur; cum omnia inſtruerentur, ordinarentur, & pararentur; ubi fuit Sylla, Corneli? num Romæ? imò longè abfuit: num in iis legionibus, quò ſe Catilina referebat? multò etiam longiùs. ]

At cave, ne in tanta Adjunctorum abundantia, plura ſimul adhibeas, quàm par eſt. Unum, quod in rem faciat, ſatis erit. Cic. *pro Lege Man.* Pompeji Victoriam in prædones a ſola celeritate, abundè commendat. [ Tantum bellum, tam diuturnum, tam longè latèque diſperſum, quo bello omnes gentes, ac nationes premebantur, Cn. Pompejus extrema hyeme apparavit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit. ]

*Antecedentia, & Conſequentia.*

Antecedentia, & Conſequentia ſunt, quæ cum re neceſſariò ſunt conjuncta: illa antecedunt, hæc ſubſequuntur: ſic culpa eſt antecedens ad Pœnam: Bellum eſt conſequens ad Arma. Lo-

Loci hujus uſus idem eſt, atque Cauſarum, & Effectorum, de quibus jam dico.

*Cauſæ.*

Cauſa eſt [id, vi cujus aliquid fit:] ſic Intemperantia eſt cauſa morbi; vulnus mortis &c.

Cauſarum quatuor ſunt genera. I. *Efficiens*, nempe rei Auctor: ſic Sol eſt cauſa Lucis. II. *Materialis*, hoc eſt materia, ex qua res fit: ſic Ferrum eſt cauſa Gladii. III. *Formalis*, id ſcilicet, per quod res eſt id, quod eſt, & ab aliis diſcriminatur: ſic Anima eſt cauſa Hominis. IV. *Finalis* nempe finis, cujus gratiâ res fit: ſic Victoria eſt cauſa Belli. Harum cauſarum non idem eſt uſus.

Cauſa *Efficiens* plura argumenta præſtat. Primum eſt, cùm ad commendationem rei alicujus cauſam ejus efficientem commendamus; vel contrà. [ Librum hunc ſcripſit Cicero: latinæ ergo eloquentiæ continet omnem venuſtatem. ]

Secundum eſt, cùm impulſuri aliquem ad rem obeundam, illam rerum optimarum cauſam eſſe oſtendimus. In dehortationibus contrà mala complura dicimus ex ea profluere. Cic. *de Senect.* [ Accipite, optimi Adoleſcentes, veterem Orationem Architæ Tarentini, magni in primis, & præclari viri. Nullam capitaliorem peſtem, quàm corporis voluptatem hominibus dicebat à natura datam. Hinc patriæ proditiones, hinc Rerumpubl. everſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſci dicebat: nullum denique ſcelus, nullum magnum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum non amor voluptatis impelleret. ]



Digitized by Google

Tertium eſt, cum ex defectu cauſæ efficientis, effectum negamus; aut ex ejus præſentia effectum affirmamus, ſi nunquam illa ab effectu ſejungitur. ut [ Non eſt ſol; ergo neque eſt Lux. Eſt lux; ergo adeſt Sol. ]

Cauſa *Materialis* duplex argumentum ſuppeditat. Primum eſt, cùm a præſentia totius materiæ inferimus poſſe effectum poni; vel poni non poſſe, ſi illa deſit. [ Deſunt lapides, ligna, cæmenta: nequit igitur domus conſtrui.] Secundum eſt, cùm proprietates materiæ toti tribuuntur. Cic. *Verr*.5. Vaſa Regis Antiochi ex materia commendat: [Exponit ſuas copias omnes, multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro, quæ gemmis erant diſtincta clariſſimis. Erat etiam vas vinarium ex una gemma prægrandi, trulla, excavata cum manubrio aureo. &c.]

Cauſa *Formalis* duplex eſt, altera Naturalis, quæ à natura; Artificialis altera, quæ ab arte provenit, & in certa quadam externa figura ſita eſt. Inſervit etiam ipſa, ut proprietates Formæ toti tribuantur. Cic. *pro Sextio* ex eo, quòd animus, qui forma eſt hominis, nunquam moriatur, infert ſibi mortem non timendam. [ Quid? tum mortemne fugiebam? An erat res ulla, quam mihi magis optandam putarem? Tam eram rudis, tam ignarus rerum, tam expers conſilii, & ingenii? Nihil audieram? Nihil videram? Nihil ipſe legendo, quærendoque cognoveram? Neſciebam inter ſapientiſſimos homines hanc contentionem fuiſſe; ut alii dicerent animos hominum, ſenſuſque morte

re-

reſtingui; alii autem tum maximè mentes Sapientium, atque fortium virorum, cùm è corpore exceſſiſſent, ſentire, ac vigere? ]

Valet etiam Cauſa Formalis ad Amplificationes, ſive Deſcriptiones. Cicero *Lib.* 4. *in Verrem* Dianæ ſtatuam, quam Verres Segeſtanis abſtulerat, à forma artificiali deſcribit: [ Hæc erat poſita Segeſtæ ſanè excelſa in baſi; in qua grandibus literis P. Africani nomen erat inciſum. Erat admodum amplum, & excelſum Signum cum ſtola. Veruntamen inerat in illa magnitudine ætas, atque habitus virginalis: ſagittæ pendebant ab humero: ſiniſtra manu retinebat arcum: dextrâ ardentem facem præferebat. ]

Cauſa *Finalis* hunc habet uſum; cùm ſcilicet ad negandum aliquid factum eſſe, nullum oſtendimus ejus facinoris finem eſſe potuiſſe. Sic Cicero *pro Amerino*, ut eum a parricidio vindicet, à n. 40. multis contendit, nullum produci poſſe ejus parricidii finem.

Eſt & alter uſus; cùm à bonitate, vel pravitate finis bona eſſe inferimus, vel mala, quæ ad illum conducunt media. Cicero *Philip.* 8. bellum ex fine laudat: [ Quæ cauſa juſtior eſt bella gerendi, quâm ſervitutis depulſio? in qua, etiamſi non ſit moleſtus Dominus; tamen eſt miſerrimum poſſe, ſi velit. ]

Tertius uſus eſt; cùm facinoris alicujus Finem inquirimus, ad laudem, vel vituperationem illi comparandam. Cicero *Piſonem* ſic urget: [ At audiſtis Philoſophi vocem? Negavit ſe triumphi cupi-



Digitized by Google

dum unquam fuiſſe. O ſcelus! o peſtis! o labes! Cùm extinguebas Senatum, cùm vendebas auctoritatem hujus ordinis, addicebas Tribuno plebis Conſulatum tuum, Remp. evertebas, prodebas caput, & ſalutem meam una mercede Provinciæ; ſi triumphum non cupiebas; cujus tandem rei te cupiditate arſiſſe defendes?]

*Effecta.*

Effecta ſunt, quæ a Cauſis oriuntur: quare, ut quatuor ſunt cauſarum genera, ita ſingulis hiſce cauſis effecta reſpondent; & argumenta omnia, quæ hactenus ad cauſas pertinere diximus, pertinent etiam ad effecta. Sed præter ea;

Valent Effecta I. ad affirmandam cauſam, ſi ejus effectum oſtendamus exiſtere. [Eloquentiæ artem poſſidet: ergo huic arti operam dedit.]

Valent II. ut negato effectu, cauſam negemus, ſi effectus eſt ejuſmodi, ut exiſteret, ſi ſemel extitiſſet cauſa. [ Poterat Milo Clodium interficere; non tamen interfecit: ergo noluit.]

Valent III. ad commendationem, vel vituperationem cauſæ; ſi effectum laude, aut vituperatione dignum oſtendimus: Cicero 1. *de Oratore* ab effectis Eloquentiam commendat: [Neque verò mihi quidquam præſtabilius videtur, quàm poſſe dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere, quò velit; unde autem velit, deducere. Quid aut tam admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum exiſtere unum, qui id, quod omnibus naturâ ſit datum, vel ſolus, vel cum paucis facere poſſit? aut tam jucundum cognitu,

gnitu, atque auditu, quàm ſapientibus ſententiis, gravibuſque verbis ornata Oratio, & perpolita? aut tam potens, tamque magnificum, quàm Populi motus, Judicum religiones, Senatus gravitatem unius Oratione converti? Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis? &c. ]

*De Locis Extrinſecis.*

Loci Extrinſeci, quos jam ſingillatim explico; etſi magnam vim habent ad probandum; eorum tamen inventio extra artem eſt Oratoris, & ſola nituntur aliorum auctoritate.

*Præjudicia* ſunt: [Sententia antea lata in eadem, vel ſimili cauſa,] quam, ubi proferes, ad eandem ferendam Judices tuos impelles. Faciliùs id obtinebis, ſi & eandem eſſe nunc quæſtionem oſtendes, & illorum Judicum, qui primam ſententiam tulere, integritatem commendabis. Refelles verò præjudicia, ſi probaveris injuſtè tunc latam ſententiam, vel diſparem nunc eſſe quæſtionem.

*Fama* eſt [Sermo in vulgus diſperſus ſine certo auctore.] Hac utèris, cùm ad aliquid confirmandum famam ipſam vocaveris: infirmabis verò, cùm nullo fundamento niti dices; præſertim cùm ſæpe det famæ initium malignitas; credulitas incrementum.

*Tormenta* ſunt [Cruciatus, per quos veritas extorquetur à reis.] Hoc loco utèris, ſi reum inter tormenta crimen ſuum falſum jam eſſe dices: Minuitur verò ejus vis, ſi contendes cruciatuum

acerbitatem falſum crimen extorſiſſe.

*Tabulæ* ſunt [Teſtimonia omnia ſcripto exarata.] ut Leges, Teſtamenta, Contractus, Codicilli, Chirographa, quæ ad rem firmandam afferri poterunt. Locus hic probatur nullius eſſe roboris, ſi tabulæ oſtendantur aut non eſſe, aut nulla Auctoritate conditæ, aut certè vitiatæ, aut corruptæ.

*Jusjurandum* eſt [ Affirmatio rei alicujus, Deo in teſtem appellato. ] Adimitur jurijurando fides, cùm probatur juranti non eſſe credendum, quòd ejus vita impia ſit, aut aſſueta perjuriis.

*Teſtes* ſunt [ Qui de re, de qua eſt quæſtio, voce, vel ſcripto teſtimonium ferunt, ] quorum auctoritas quantò erit major, tantò firmius erit argumentum à teſtibus petitum. Ad hunc locum ſpectant teſtimonia, quæ petuntur ab auctoritate SS. Patrum, Theologorum, Philoſophorum, Hiſtoricorum &c. Præterea Teſtimonia divina eruta à Sacris Literis, Apoſtolicis traditionibus, à Decretis Pontificum &c. quorum loco apud Ethnicos fuere Oracula, Auſpicia, Somnia &c. Teſtium fides infirmatur, ſi illos nullius eſſe auctoritatis oſtendes; ſi irâ, vel invidiâ, vel ſpe lucri ad id teſtimonium adactos dices; ſi pugnantia eos loqui demonſtrabis; ſi graviores teſtes oppones.

## ARTICULUS III.

### *De Inventione in ordine ad tractandos animi motus.*

TRactare animos, & commovere potiſſimum eſt Eloquentiæ munus, & finis præcipuus.

Ne-

Neque enim ſatis eſt rem argumentis confirmare, & erudire auditorum intellectum; niſi etiam noverit Orator, qua arte inclinet eorundem voluntates, quò velit ipſe. Artem hanc toto hoc articulo edocebo.

*Quid ſit Affectus, & quotuplex.*

Affectus eſt [ Animi quædam propenſio, qua ad appetendum, vel averſandum aliquid impellimur. ]

Quatuordecim ſunt præcipui affectus animi, qui in duas dividuntur claſſes ſecundùm geminam ſentientis animæ facultatem *Concupiſcibilem*, & *Iraſcibilem*; quorum VII. ad unam pertinent, VII. ad alteram. Ad Concupiſcibilem facultatem pertinent: Amor, Deſiderium, Gaudium, Odium, Fuga, Triſtitia, ſeu Dolor, & Commiſeratio. Nam Cupiditas naturali motu inclinatur ad bonum, unde *Amor*: quòd ſi bonum eſt abſens, in illud fertur per *Deſiderium*; ſi verò eſt præſens, in eo per *Gaudium* quieſcit. Similiter à malo fugit: unde *Odium* oritur: quòd ſi malum ſit abſens, *Fuga* ab illo conſurgit; ſi præſens, *Triſtitia*, ſeu *Dolor*: quòd ſi alios premat, *Commiſeratio*. Ad Iraſcibilem verò facultatem pertinent: Ira, Lenitas, ſeu Manſuetudo, Audacia, Timor, Spes, Æmulatio, Deſperatio. Nam animus, cùm malum eſt præſens, *Iram* ciet; vel impetum hunc per *Lenitatem* moderatur: quòd ſi malum eſt abſens, ut illud à ſe arceat, *Audaciam* excitat; et, ſi ne ſuperveniat, metuit, eſt *Timor*: ſin autem ad bonum abſens aſpirat, *Spes* eſt; ſi ad illud conten-



Digitized by Google

dit, eſt *Æmulatio*; ſi ſpe omni excidit, eſt *Deſperatio.*

Hos omnes affectus ut teneas excitandi artem, ſcire oportet I. Quid ſpectandum ſit in Oratore. II. Quid in Auditoribus. III. Quid in ipſis affectibus ſingulatim.

*Quæ ſpectanda ſunt in Oratore.*

Primum, quod eſt ſpectandum, eſt Oratoris conditio, quæ complectitur Auctoritatem, Probitatem, Sapientiam, & Ætatem: ſatis enim experimur, quantùm ad flectendos animos Orator valeat, ſi Nobilitatis, vel Dignitatis causâ Auctoritate ſit præditus, ſi ſit morum Integritate ſpectandus, ſi Sapientiâ exornatus, ſi matura Ætate venerabilis.

Alterum eſt, ut eoſdem affectus Orator induat, & præſeferat, quos parat in aliis movere: [Neque enim fieri poteſt, (*ut* 2. *de Orat.* monet Cic:) ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimeſcat aliquid, ut ad fletum, miſericordiamque deducatur; niſi omnes ii motus in ipſo Oratore impreſſi eſſe, atq: inuſti videantur.]

Hoc, quod maximi eſt momenti, ut aſſequatur Orator; rem agat oportet non quaſi alienam; ſed totum animum, mentemque totam in illam veluti immitat. Abſtrahat quaſi ſemet a ſenſibus, & rerum imagines ita ſibi repræſentet, ut eas veluti oculis intueri exiſtimet. Occiſum aliquem dolet? rerum earum imagines ſtatuat ante oculos mentis, quæ tunc aderant, cùm patratum eſt facinus: Gladiū ſanguine conſperſum, Sicarium irâ inflammatum

matum, Cadaver cruore fœdatum, adſtantium ſtuporem, amicorum gemitum &c. quæ omnia dum mentis acie conſpicimus; facile erit eos affectus induere.

*Quæ ſpectanda ſunt in Auditoribus.*

Multum intereſt eorum ingenium habere perſpectum, quibus verba facit Orator; ut ſciat, quos affectus excitare poterit, quos verò non poterit; quos faciliùs, quos difficiliùs obtinebit. Ad hoc ſpectanda ſunt iſta.

I. Auditorum Indoles. Alii enim faciliores ingenio ad commiſerationem, & dolorem facilè impelluntur. Alii efferato animo faciliùs iraſcuntur, & indignantur. Alii longo rerum uſu firmati, vel præditi eruditione, vix unquam aliquid mirantur; vix unquam miſeratione capiuntur. Alii naturæ vitio ſtupidi, & tardi, aut nullos unquam, aut remiſſos nimis habent affectus.

II. Populorum varietas: ingenium namque pro varietate regionum ſolet eſſe diverſum. Singularum Nationum ingenium vide in *Reginæ Palatio Eloquentiæ Exer.* 6. *Lect.* 1.

III. Ætas, & Sexus. *Fœminæ*, & *Pueri*, & *Adoleſcentes* etiam, ut proni ſunt ad induendos, quos velis, affectus; ita facilè eoſdem exuunt. Dolorem, Indignationem, & Commiſerationem ſtatim in promptu habent; omnibus fidem præbent; fabellis, ſimilitudinibus, hiſtoriolis facilè circumferuntur. *Juvenes* ad voluptates paratiores ſunt; in iram facilè exardeſcunt, & ad ultionem rapiuntur: pecuniam parvi pendunt: rerum imperitiâ

nil

nil ſibi difficile putant; in ſpem ſtatim eriguntur; cupidi ſunt gloriæ, generoſi, & magnanimi; demum voluptate magis, & amore laudis, quàm utilitate impelluntur. *Viri* temperatas habent cupiditates; non facilè audaciâ, non metu ſuperantur; auri, & laudis pretium novère; quare horum cupiditati facilè moderantur; demum ab honeſto potius, & ab utili, quàm à delectabili moventur. *Senes* voluptatibus non facilè capiuntur; tardi ſunt, ſuſpicioſi, timidi, unde providi; querulì etiam, ſeveri, & riſuum, atque deliciarum inimici; ſunt prudentes, parati ad docendum, & corrigendum juvenes; haud facilè in affectus vehementiores veniunt, niſi in iram. Demum cum Senibus nulla à Delectabili petenda ſunt argumenta, pauca ab Honeſto, plurima ab Utili.

IV. Præter hæc conſideranda eſt in Auditoribus Perſonæ Conditio, Educatio, Conſuetudo; imò temporis etiam habenda eſt ratio: perſpicuum eſt enim, multùm intereſſe inter affectus Divitis, & Pauperis, Probi, & Improbi, Nobilis, & Plebeji, Docti, & Rudis, Læti, & Mæſti, Ægri, & Sani hominis.

Ex hac tanta ingeniorum varietate fit, ut ſæpe Orator idem aliquibus placeat, diſpliceat aliis; hac in regione libenter exaudiatur; alibi non ſine tædio. Quare, ne perdat operam, omni mente id cogitet Orator, qua ratione ſeſe ingenio Auditorum accommodet, & quò ii deduci non poſſe, quò verò facilè poſſe videantur.

Quæ

Digitized by Google

## QUÆ IN AFFECTIBUS SINGULIS SUNT SPECTANDA.

### *Amor.*

AMor eſt [ Affectus , quo volumus alteri, quæ bona illi ſunt , non noſtri , ſed ejus gratiâ. ]

Tria rerum genera amorem excitant ; alia quæ Honeſta, alia quæ Jucunda, alia quæ Utilia ſunt.

Ex Honeſtis excitant I. Vitæ Probitas, quæ, ut ametur etiam ab hoſtibus, facit. II. Modeſta Pulchritudo . III. Animi Nobilitas , & Magnitudo. IV. Comitas, Benignitas, & Liberalitas.

Ex Utilibus excitant I. Beneficia collata , quæ feras etiam ad amorem provocant. II. Grati animi ſignificatio.

Ex Jucundis excitant I. Amor ; nam pervulgata eſt Senecæ Sententia [ Si vis amari , ama . ] II. Res habere communes;ut ſunt familiaritates,ſtudia, domicilia,&c. III. Morum ſimilitudo.IV.Fiducia : amamus enim eos , qui ſe , ſuaſque nobis committunt.

Affectum hunc mira arte tractat Cic. *pro Milone à n. 44. & in Perorationibus pro L. Flacco , & pro Cn. Plancio.* Tu ſi hunc,vel aliquem ex ſequentibus affectibus excitatum velis , unum , aut alterum proponito ex iis capitibus , quæ apta , & accommodata eſſe dico ad illum provocandum affectum . Quòd ſi contrà velis repreſſum , oppoſitis capitibus facito : ſic Amorem excitat vitæ probitas, improbitas reprimit.

*De-*

Digitized by Google

*Deſiderium.*

Deſiderium eſt [ Affectus, quo fertur animus in bonum abſens, quatenus bonum eſt. ] Affectus iſte ex Amore oritur, & pro rerum, in quas fertur, varietate, diverſa obtinet nomina: ſic Deſiderium Honoris, Ambitio dicitur; Auri, Avaritia; Inutilis Scientiæ, Curioſitas &c.

Hæc Deſiderium acuunt: I. Utilitas, aut Jucunditas, vel etiam Gloria in re illa ſita. II. Rei aſſequendæ facilitas. III. Jacens fortuna, quæ vitæ melioris deſiderium provocat.

*Gaudium.*

Gaudium eſt [ Motus animi, ſive ſenſus boni præſentis, quatenus præſens eſt. ] Ex Amore oritur motus iſte.

Gaudium excitant I. Adverſæ fortunæ in meliorem mutatio. II. Novus inſperati boni acceſſus, vel ſperati conſecutio. III. Novitas, vel inſolentia rei alicujus viſu, vel auditu digna. IV. Locorum amænitas, quæ recreet animum. V. Virtus, & rectè factorum conſcientia.

*Odium.*

Odium eſt [ Affectus, quo animus ſe avertit ab eo, quod malum in ſe eſſe putat. ]

Ea omnia Odium provocant, quæ opponuntur rebus, quibus Amor excitatur: ut ſunt inhoneſta omnia, aut pernicioſa, vel moleſta.

*Fuga.*

Fuga eſt [ Affectus, quo animus à malo abſente refugit, quatenus illud malum eſt. ] Fuga ex Odio provenit.

Quæ

Digitized by Google

Quæ Odium provocant, ea etiam ad Fugam impellunt. Sed præterea, cùm malum aliquod imminet, tunc magis Fugæ impetus aſſurgit.

*Triſtitia, ſeu Dolor.*

Triſtitia eſt [ Animi perturbatio ex opinione mali præſentis. ] Oritur ex Odio hic affectus.

Triſtitiam inferunt quæcumque malorum genera, quæ patimur; ſive ea bonis utilibus, ſive honeſtis, ſive delectabilibus averſentur.

*Commiſeratio.*

Commiſeratio eſt [ Animi dolor ex malo alterius. ]

Mala autem omnia, cùm ſunt propria, dolorem provocant; cùm alicujus cujuſpiam hominis ſunt, quem odio non habemus, excitant commiſerationem.

*Ira.*

Ira eſt [Cupido ulciſcendi ſui cum animi dolore conjuncta.] Diſtinguitur ab Odio in hoc, quòd Ira ex iis tantùm inceditur, quæ in nos cadunt: Odium ex iis etiam, quæ alios feriunt. Ira cum dolore conjungitur, non autem Odium. Ira demum injuriam ſtudet tantùm reponere: Odium, quem odit, extingui deſiderat.

Iram movet I. Opinio contemptùs, vel ſuſceptæ injuriæ. II. Ingrati animi labes. III. Ea omnia, quæ odii cauſa ſunt.

*Lenitas, ſeu Manſuetudo.*

Lenitas eſt [Sedatio, & Mitigatio Iræ.]

Componitur ad manſuetudinem animus I. Ingenua criminis confeſſione, ac veniæ petitione.

II. Ini-

Digitized by Google

II. Inimici miſeriâ: facilè enim in miſeros mitigamur. III. Moræ interpoſitione: nam mora præſens eſt iræ remedium. IV. Si probes nullam eſſe iræ cauſam; vel eum, qui peccavit, non deditâ operâ id feciſſe, ſed imprudenter. V. Si captes commoda fandi tempora, quale eſt tempus publicæ Lætitiæ, Ludi, Convivii, Victoriæ.

*Audacia.*

Audacia eſt [ Motus animi ad bonum arduum conſequendum cum contemptu difficultatis. ] Motus hic nunquam à Spe ſejungitur.

Faciunt Audaciam I. Animus per ſe audens, & erectus. II. Aſſidua periculi præſentia, & meditatio: mala namque ſæpiùs viſa non terrent. III. Extenuatio periculi. IV. Præſidia, quæ abunde ſuppetunt ad rem obeundam. V. Divinus favor, quem nobis meritò polliceamur. VI. Injuriæ atrocitas, quam paſſi ſumus. VII. Boni magnitudo, quam ſperamus. VIII. Neceſſitas ineluctabilis aut moriendi, aut vincendæ difficultatis. IX. Majorum recordatio, qui talia fortiter geſſerint.

*Timor.*

Timor eſt [ Animi perturbatio ex impendentis mali opinione. ]

Timorem incutiunt I. Periculi propinquitas, & magnitudo. II. Nocendi poteſtas, quam his habeat, a quo nobis timemus. III. Sceleris conſcientia. IV. Propriæ infirmitatis ad periculum vitandum cognitio. V. Æmulatio, & ad bonum aliquod contentio: tunc enim timemus, ne bonum illud non aſſequamur.

Spes

## *Spes.*

Spes eſt [ Motus, quo animus erigitur in bonum abſens, & arduum; quod tamen conſequi labore poſſumus. ] Spem ſemper Amor, & Deſiderium antecedunt.

Hæc Spem excitant: I. Boni, in quod tendimus, magnitudo. II. Præſidia, quæ nobis ad rem conſequendam præſto ſunt. III. Rem aſſequendi facilitas. IV. Adverſariorum nota imbecillitas. V. Rerum à nobis fortiter geſtarum memoria. VI. Multa ex iis, quæ Deſiderium, & Audaciam provocant.

## *Æmulatio.*

Æmulatio eſt [ Animi contentio cum dolore conjuncta in bonum alienum; non quia alter habet, ſed quia nos illo caremus. ] Æmulatio verò non niſi ex deſiderio, & ſpe ejuſdem boni dimanat.

Ad Æmulationem movent I. Præclara Majorum exempla. II. Egregia ſummorum virorum facinora. III. Cupido gloriæ, quæ tantopere Alexandrum ad Æmulationem incendit.

## *Deſperatio.*

Deſperatio eſt [ Boni obtinendi, vel mali depellendi diffidentia. ]

Deſperationem adducunt Capita omnia oppoſita rebus iis, quibus ad Spem animus erigitur.



Digitized by Google

# CAPUT II.

## *De Diſpoſitione.*

DIſpoſitio eſt [Rerum inventarum in ordinem diſtributio.] Non enim juvat inveniſſe quid dicas; niſi totam illam, quam cogitaveras, rerum congeriem, ac veluti informem maſſam in ſua loca diſtribuas; atque decernas, quid tibi primum dicendum ſit, quid ſecundum, quid tertium. Ordinem hunc Orationis Partes inducunt, quæ quinque omnino ſunt: Exordium, Propoſitio, Narratio, Confirmatio, & Peroratio: quas partes poſtquam ſingulas explicavero; addam aliquid de Tranſitionibus Orationis.

## ARTICULUS I.

### DE ORATIONIS EXORDIO.

### *Quid ſit, & quotuplex.*

EXordium eſt [Aditus quidam in Orationem, auditorum animos idoneè comparans ad reliquam dictionem.] Pars iſta præ cæteris omnibus diligenter condenda eſt: quæ enim initio dicuntur, hærent penitus, atque inſident auditorum animis, qui, quid Orator valeat, ab Exordio metiuntur.

Duplex eſt Exordium: alterum ex Abrupto, alterum Juſtum, & Legitimum. Primum eſt, cùm omiſ-

omiſſis iis, quæ ad præparandos animos pertinent, repentino quodam, & vehementi motu auditores perſtringimus. Alterum eſt, cùm artificioſa quadam inſinuatione auditorum animos præparamus.

*Exordii ex Abrupto Artificium.*

Exordio hoc utimur, cùm fervidum aliquod negotium agimus: ut ſi aliquem reprehendimus, vel in gravi periculo verſamur, vel magna adeſt lætitiæ, ſive triſtitiæ cauſa.

Fit autem vel I. per Increpationem: ut celebre illud Cic. *in Catil. Or.* 1. [ Quouſque tandem abutère, Catilina, patientiâ noſtrâ? Quandiu nos etiam furor iſte tuus eludet? Quem ad finem ſeſe effrænata jactabit audacia? &c.]

Vel II. per quandam dicendi libertatem, atque audaciam: ſic *apud Liv. l.* 2. Mutius Scævola in caſtris Porſenæ Regis deprehenſus, Regem alloquitur: [ Romanus ſum Civis, C. Mutium vocant. Hoſtis hoſtem occidere volui: nec ad mortem minus animi eſt, quàm fuit ad cædem. Et facere, & pati fortia Romanum eſt. Nunc unus ego in te hos animos geſſi: longus poſt me ordo idem petentium decus: proinde in hoc diſcrimen, ſi juvat, accingere; ut in ſingulas horas capite dimices tuo. ]

Vel III. per ſigna doloris, atque mæſtitiæ: ſic M. Ant. Muretus Orator maximè latinus *in funere Caroli IX. Galliarum Regis* exorditur: [ Hoc igitur unum reſtabat afflictis, ac pene proſtratis infelicis Galliæ rebus; ut Carolus Rex, quo ſe illa recreabat, & ſolabatur uno, de quo cogitans,

in quem intuens, omnium, quas excepit, acerbitatum memoriam deponebat; cùm bonorum animos ad aliquam ſpem quietis erigere cœpiſſet, in ipſo ineuntis adoleſcentiæ flore, acerba, atque immatura morte raperetur! O fallaces hominum ſpes! o incerta vota! o lubrica, & ancipitia humanæ vitæ curricula! Meritò lacrimis oculi omnium madent: meritò &c.]

Vel IV. per vehementem aliquam Figuram, vel Affectum, qui ſtatim percellat animum: ut ſunt Conqueſtio, Commiſeratio, Gaudium, Exclamatio &c. Sic Segnerus in XIV. ex Conc. Quadr. *O Inferno, o Penitenza. A che ſtarci noi quì giornalmente a ſtancare con tante Prediche? O Inferno, o Penitenza. Convien riſolvere. &c.* Sic Q. Horatius *apud Livium l.* 1. pro filio, qui, quòd poſt victoriam ſororem interfeciſſet, morti damnabatur, Romanos alloquens, per Interrogationem, & Commiſerationem ſic exorditur: [Huncine, quem modò decoratum, ovantemque victoriâ incedentem vidiſtis, Quirites, eum ſub furca vinctum inter verbera, & cruciatus videre poteſtis? quod vix Albanorum oculi tam deforme ſpectaculum ferre poſſent. I Lictor; colliga manus, quæ paulo ante armatæ imperium Populo Rom. pepererunt. I, caput obnube Liberatoris urbis hujus: arbori infelici ſuſpende. &c.]

*Exordii Legitimi Fontes varii.*

Deſumi poteſt I. ab Opinione, & Senſu auditorum, quem poſtquam ſagaciſſimè fuerit odoratus, in illum ſeſe inclinat Orator. v. g. ſit decernendum,

dum, utrum captivi poſt victoriam dimittendi ſint: veriſimile eſt tunc Auditores, partâ victoriâ, exultare; quare poterit Orator in exordio eandem ſtatim lætitiam induere, gratulari civibus, laudare Duces, Superis gratias agere; atque inde ad Propoſitionem ſuam deſcendere. Ex hoc loco exordium deſumpſit Cic. *Or.* 3. *in Catil.*

II. Ab Adjunctis rei, loci, temporis, perſonæ, &c. Hæc exordiendi ratio, quæ non per vim allatum, ſed è re natum affert Exordium, eſt & omnium optima, & Ciceroni valde familiaris; pro P. Quinctio ab Adjunctis Accuſatorum, & Defenſorum ſic exorditur: [ Quæ res in Civitate duæ plurimum poſſunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, ſumma gratia, & eloquentia: quarum alteram, C. Aquilli, vereor; alteram metuo. Eloquentia Q. Hortenſii, ne me dicendo impediat, non nihil commoveor: gratia Sex. Nævii, ne P. Quinctio noceat, id verò non mediocriter pertimeſco. &c. ] Sic *pro domo ſua* ad Pontifices, ab eorum dignitate, & officio: [ Cùm nulla divinitus, Pontifices, a Majoribus noſtris inventa, atque inſtituta ſunt, tum nihil præclarius, quàm quod vos eoſdem & religionibus Deorum immortalium, & ſummæ Reip. præeſſe voluerunt, ut ampliſſimi, & clariſſimi cives Remp. bene gerendo, Pontifices religiones ſapienter interpretando, Remp. conſervarent. Quod ſi ullo tempore magna cauſa in Sacerdotum populi Romani judicio, ac poteſtate verſata eſt; hæc profectò tanta eſt, ut omnis Reip. dignitas, omnium ci-



Digitized by Google

civium ſalus, vita, libertas, aræ, ſocii, Dij penates, bona, fortunæ domicilia veſtræ ſapientiæ, fidei, poteſtatique commiſſa, creditaque eſſe videantur. &c.] Sic *in Orat. pro Milone* à foro militibus obſeſſo, & à Perſona Judicis initium ſumit. *Pro S. Roſcio* à ſe ipſo, quòd nondum matura ætate ſurgeret ad dicendum. *Pro Sextio* à temporum conditione &c.

III. A Contrario: cùm ſcilicet initio in partem oppoſitam ſeſe inclinare videtur Orator; ſed deinde ad ſuam ſe propoſitionem convertit. Alexander *L. 6. Curt.* hortaturus milites ſuos, ut ſecum in remotiſſimas Indiæ partes contenderent; initiò militum deſiderium quietis, & ſatietatem gloriæ proponit: commemorat quid hactenus egerint, quid ſuſtinuerint: quæ quidem omnia ſuaderent, ut partâ demum gloriá, atque opibus, per quietem fruerentur in patria: verùm ſtatim ad propoſitionem ſuam tranſit Alexander, qua contendit perſeverandum ipſis adhuc eſſe in laboribus, in bello ſuſcepto.

IV. A nuda, ſimplicique rei expoſitione: quod in genere judiciali præcipuè in uſu eſt. ſic Cic. *pro Cluentio, & pro Ligar.*

V. Ab illuſtri aliquo Exemplo, Similitudine, Hiſtoria, Conſuetudine; cùm in rem faciunt: horum exempla paſſim invenies apud Segnerum.

VI. A Suſtentatione, per quam ſuſpenſos aliquandiu tenemus auditorum animos: qua arte mirificè attentionem ſibi conciliat Orator. Sic Cic. *Ver. 1.* [Quod erat optandum maximè, Judices;

Digitized by Google

dices; & quod unum ad invidiam veſtri Ordinis, infamiamque judiciorum ſedandam maximè pertinebat; id non humano conſilio, ſed propè divinitùs datum, atque oblatum vobis ſummo Reip. tempore videtur. Inveteravit enim &c.]

Pulcherrimum eſt hoc in genere Exordium Segneri in 1. Conc. Quadr. [*Un funeſtiſſimo annunzio ſon quì venuto a recarvi, o miei riveriti Uditori: e vi confeſſo, che non ſenza una eſtrema difficultà mi ci ſono addotto, troppo peſandomi di avervi a contriſtar sì altamente fin dalla prima mattina, ch'io vegga voi, o che voi conoſciate me. Solo in penſare a quello, che dir vi devo, ſento agghiacciarmiſi per grand'orrore le vene. Ma che gioverebbe il tacere? il diſſimular che varrebe? ve lo dirò. Tutti &c.*]

VII. Ab inſigni quopiam effato, & dicto, quod genus Exordii magnopere probatur. Ita Cæſar *apud Salluſt.* facturus verba in Senatu, ſic ab Effato inchoavit. [Omnes homines, qui de rebus dubiis conſulunt; ab odio, amentia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decet. &c.] Ita Perpinianus in Oratione 4. De Societatis Jeſu gymnaſiis: [Etſi naturâ ipsâ ita comparatum eſt, Pontifices vigilantiſſimi, Virique doctiſſimi, ut majora ſe quiſque ſuſtinere poſſe arbitretur, quàm quantum ejus ingenium, ac vires ferre queant, ſæpeque falſa quadam exiſtimatione roboris, mediocria illa onera eſſe patet, quorum pondere oppreſſus vix ſe uſquam commovere poſſit; tamen hujus rei, quæ à nobis hodierno die ſuſcipitur, magni-

tudo tanta eſt, & gravitas, ut facilè cujusvis hominis animum, & ſe rebus omnibus futurum eſſe parem exiſtimantis, debilitare poſſit, & frangere, ne dum noſtrum, quorum ſuſceptæ vitæ rationes id quodam modo videntur ſuo jure poſtulare, ut nullum tam leve ducamus onus, cui non vires noſtras impares eſſe fateamur. &c.] Ita Segner. in 37. ex Conc. Quadr. [*Chi ama, teme. Non è ciò forſe veriſſimo, o Aſcoltatori? Anzi teme tanto chi ama, che teme troppo; e palpita ad ogni dubbio, benchè improbabile; e paventa ogni riſchio, benchè leggiero. &c.*] & Conc. 38. [*Appena ſi può ritrovare Vom più facile ad ingannarſi, di chi nel formare i giudicj, ſi governi dall'apparenza. Alza gli occhi al Cielo di notte quel ſemplice Paſtorello, che non ha mai con le miſure aſtronomiche eſaminata nè la grandezza, nè la diſtanza, nè l'ordine delle Stelle; e rimirandole a paragon della Luna, con un ſorriſo faſtoſetto anzi audace, le ſprezza tutte, quaſi che tutte ſien, come lumi minori, che alla maggior lumiera faccian corteggio. E pure queſto è sì falſo, che &c.*]

VIII. In ſacris concionibus aliud eſt nec inuſitatum Exordii genus, quod ex ipſo Evangelii ſenſu, ac verbis ducitur, iis præſertim, quæ toti concioni præmittuntur: hujuſcemodi eſt illud Segneri, nunquam ſatis laudatum Concionis 33. ex Quadrag., ubi ex illis verbis: *Expedit, ut unus moriatur homo pro Populo*, hæc habet: [*E fia dunque ſpediente a Geruſalemme, che Criſto moja? O folli conſigli! O frenetici Conſiglieri! Allora io voglio,*

che

*che voi torniate a parlarmi, quando coperte tutte le voſtre campagne d'arme, e d'armati, vedrete l' Aquile Romane far nido d'intorno alle voſtre mura, ed appena quivi poſate aguzzar gli artigli, ed avventarſi alla preda: quando udirete alto rimbombo di tamburri, e di trombe, orrendi fiſchi di frombole, e di ſactte, confuſe grida di feriti, e di moribondi, allora io voglio, che ſappiate riſpondermi s'è eſpediente:* Expedit? *E oſerete dir* Expedit, *allora, quando voi mirerete correre il ſangue a rivi, ed alzarſi la ſtrage a' monti? Quando &c.* ] In Paneg: quoque S. Joan: Bapt: ex illis verbis: *Joannes quidem nullum ſignum fecit*: ſic exorſus eſt: [ *Povera ſantità! Fin a tanto, che a ſuo favore non appariſcano numeroſi prodigj, non ſo, ſe a guiſa di lampi per illuſtrarla, o di fulmini per difenderla, quanto è facile, che ella ſe ne rimanga o vilipeſa nella ſtima de' rozzi, o lacerata da' morſi degli invidioſi! La ſteſſa Chieſa, che pur in ogni ſuo decreto è sì ſavia, e sì regolata, niega oggimai di voler più concedere per oſſequio di una tal Santità, nè tempj, nè altari, nè incenzi, nè ſacrifizj, e le comanda, che ſoddisfatta di alcuni privati applauſi, non aſpiri alle pubbliche adorazioni. La dove chi è, che non ammiri, o non celebri &c.* ]

Illud verò in hiſce Concionibus curandum eſt ſedulò, ut Propoſitio, quam nobis probandam ſuſcipimus, vel è ſacrarum litterarum verbis, quæ loco Thematis orationi præponuntur, deſcendat; vel certè aliquam cum iis habere oſtendatur conjunctionem.



Digitized by Google

*Exordii Munera.*

Tria ſunt: ut ſcilicet Auditores reddat Attentos, Dociles, atque Benevolos.

*Attentio* comparatur I. ſi rei tractandæ magnitudo exaggeretur. Cic. *pro Rabir.* [Sic exiſtimare debetis, poſt hominum memoriam rem nullam magis periculoſam, magis ab omnibus vobis providendam, neque à Tribuno plebis ſuſceptam, neque à Conſule defenſam, neque ad Populum Rom. eſſe delatam.] II. Si res cum Auditorum rationibus dicatur eſſe conjuncta. Cic. *in Verrem.* [Quid eſt, in quo ego Reip. plus hoc tempore prodeſſe poſſim? quid eſt, quod aut Populo Rom. gratius, &c.] III. Si per artificioſam dubitationem res auditoribus veluti dijudicanda permittatur. Cic. *in Verr. lib.* 4. [Venio nunc ad iſtius, quemadmodum ipſe appellat, ſtudium; ut amici ejus, morbum, & inſaniam; ut Siculi, latrocinium: ego quo nomine appellem, neſcio: vos eam ſuo nominis pondere penditote.] IV. Si expreſsè petatur attentio. Cic. *pro Cluent.* [Quæſo, ut me, Judices, ſicut facere inſtituiſtis, benignè, attentèque audiatis.]

*Docilitas* captatur I. ſi brevitatem promittas, ac ſerves, præſertim in ipſo exordio. II. Si rem totam ordines per accuratam partitionem. ſic Cic. *pro Cluent.* III. Si rei tractandæ ſummam dilucidè, & breviter exponas. Cic. *pro Lege Man.* [Dicendum eſt de Cn. Pompeji ſingulari, eximiaque virtute.]

*Benevolentia* paratur I. A Perſona Oratoris

ipſius

ipſius; ſi modeſtiam quandam, pudorem, probitatem, rectamque oris, & corporis totius compoſitionem præſeferat; vel teſtetur dicere ſe, ut auditorum utilitati conſulat, vel amore Patriæ. ut Cic. *pro Sylla n.* 1. II. A Perſona Auditorum, vel Judicum; ſi eos commendet ab integritate, & juſtitia, ut *pro Quinct. n.* 5. *& pro Milon. n.* 2. vel à Sapientia; ut *pro Roſcio n.* 10. vel à Clementia, ut *pro Marcello n.* 1. aut ſi ſuam cauſam cum eorum utilitate conjungat, ut *in Catilinariis* paſſim. III. A Perſona Clientis; ſi ejus virtutem commendet, vel calamitatem, & ſolitudinem exaggeret; ut *pro Roſc. Amer.* IV. A Perſona Adverſariorum; ſi eorum vitia recenſendo, ab eis alienaverit Judices; ut *in Verrinis*, & alibi paſſim.

Benevolentiam hanc captare in cauſis, quæ apertè honeſtæ ſunt, vel utiles Auditoribus, non eſt opus: in cauſis verò dubiis, aut in humilibus, quæ de re exigua ſunt; illam ſibi conciliare laboret Orator.

Sed in his rebus omnibus procurandis caveat Orator, ne quid afferat apertè falſum; ut ſi dicat cauſam ſuam eſſe cum Rep. conjunctam; cùm non ſit: vel ſi adverſarium reprehendat; cùm homo ſit notæ probitatis: tunc enim aliâ viâ procedendum. En Tullium, qui dicturus *pro Murena*, quem accuſabat Cato vir laude conſpicuus; ut fidem huic quoquo modo poſſet citra mendacium adimere; non ipſum, ſed Stoicorum Sectam, cui ſe totum Cato addixerat, tam falsè cœpit illudere; ut riſu concio tota diffluerct.

*Exor-*

*Exordii Virtutes.*

Tres ſunt potiſſimùm: Venuſtas, Brevitas, & Proprietas.

*Venuſtas* petit, ut mitibus figuris, & pura, elegantique dictione commendetur; ſit dignitate plenum, & diligenter elaboratum. Caveat tamen Orator, ne nimia Exordii cultura reliquæ orationi non reſpondeat; neve, ut illud grandeſcat, prolixiores amplificationes, aut vehementes figuras, vel affectus uſurpet: Res enim omnes non initio ſtatim grandes, ſed eundo fiunt.

*Brevitas* poſtulat, ut cum reliqua oratione conſentiat ejus longitudo: quemadmodum Caput cæteris membris proportionem habeat oportet, ne referat monſtrum. Quare in brevi oratione breve ſit; in longiore longius. Cæterùm ad brevitatem potiùs, quàm ad prolixitatem ſe inclinet.

*Proprietas* exigit, ut non ſit alienum à cauſa; ſed ex iis, de quibus agitur, atque à viſceribus rei (ut ajunt) petitum. Quare ſemina quædam ſolerter jaciat argumentorum, quæ in reliqua oratione tractari fuſiùs debent: neque verò adeo commune ſit, ut aliis etiam cauſis accomodari facilè poſſit.

## ARTICULUS II.

### *De Orationis Propoſitione.*

DE Inventione Propoſitionis, ejuſque virtutibus egi *Cap.* I. *De Invent. Art.* I. Hic ſolùm

lùm, quod ſupereſt, edocebo.

Collocanda eſt Propoſitio in ipſo Exordio, & ut fit communiter, ſub ejus finem. De ea, etſi dictum ſit unam eſſe oportere; lex tamen iſta non prohibet, quin una hæc Propoſitio, antequam ad Narrationem devenias, in quædam capita, ac veluti membra beneficio Partitionis dividatur; quæ inter ſe connexa, ad propoſitionem magis explicandam, & ſtabiliendam conducunt. *Sic* Cic. *pro Quinctio* probaturus S. Nævium injuſtè bona Quinctii uſurpaſſe, hac partitione utitur: [ Nego fuiſſe cauſam, cur poſtularet: nego ex edicto poſſidere potuiſſe: nego poſſediſſe. Hæc tria cùm dixero, perorabo. ]

Fieri poteſt etiam hæc Partitio, plura proferendo capita, aut rationes, quibus Propoſitio vera ſit, quas tota oratione te explicaturum recipias. Cic. *Philip.* VII. ſtatuta hac Propoſitione: [Bellum adverſus Antonium omnino eſſe neceſſarium. ] eandem mox ita partitur: [ Cur pacem nolo? quia turpis eſt, quia periculoſa, quia eſſe non poteſt: quæ tria dum explico; peto &c. ]

Partitio hæc ſuas leges habet. I. Sint ejus membra diſparia: unum ſcilicet non in alio contineatur. II. Tres ſummùm partes habeat; rarò admodum plures. III. Sit plena; hoc eſt Propoſitionem, quam dividit, integram complectatur. IV. Sit Clara omnino, & brevibus verbis expoſita.

Partitionis uſum commendant aliqui, aliqui reprehendunt. Ego quid hac in re ſentiam non facilè dixerim. Id unum ſcio Partitionem hac noſtra

ſem-

tempeſtate maximè frequentem eſſe etiam præclaris Oratoribus.

## ARTICULUS III.

### *De Orationis Narratione.*

IN Progymnaſmatis ſatis multa de Narratione dicta ſunt. Hìc ea ſolùm edocebo, quæ ad Oratoriam Narrationem pertinent ſpeciatim.

Oratoria Narratio duplex eſt: altera dicitur *Cauſæ*; rei videlicet, quæ toti quæſtioni locum fecit; altera *Rerum*, quæ ad cauſam pertinent: earum ſcilicet, quæ in ipſo orationis decurſu occurrunt, quæcumque eæ ſint, & ubicumque ponantur.

Primi generis Narratio locum habet potiſſimùm in genere judiciali; in quo perſonæ facinus, ſive quæſtio ſolet Judicibus diligenter exponi, iis coloribus depicta, quæ propoſito faveant, fidemque nobis conſtituant. Abſolutiſſimum exemplum habes in Miloniana Narratione *à n.* 27. [ Interim cùm ſciret Clodius, ( neque enim erat difficile ſcitu ;) iter ſolenne &c. ] Narratio iſta vel propoſitioni ſubjicitur; vel præmitti etiam poteſt Refutatio aliqua pro re, & Oratoris arbitrio.

Secundi generis narratio certum in oratione locum non habet; ſed cùm res poſtulaverit, adhibetur; probationis verò munus ſemper habet in quocumque genere dicendi.

Sed Narrationi condendæ nihil magis inſervit, quàm ars amplificandi: quare de Amplificatione

tione, quæ reliquis etiam Orationis partibus (dempta Propoſitione) inſervire poteſt; agendum hìc eſſe exiſtimavi.

*De Amplificatione.*

Amplificatio eſt [ Copioſior quædam dicendi ratio, quæ rei pondus veluti ob oculos ponit, ad animi motus excitandos. ] Cic. *in Exordio Catilinariæ* II. nudè, & exiliter dicere potuiſſet: [ Tandem, Quirites, Catilina patriæ pernicioſiſſimus urbe exceſſit. ] Verùm rem hanc ſic amplificat: [ Tandem aliquando Quirites, L. Catilinam furentem audaciâ, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem, vobis, atque huic urbi ferrum, flammamque minitantem ex hac urbe, vel ejecimus, vel emiſimus, vel ipſum egredientem urbe proſequuti ſumus. Abiit, exceſſit, erupit, evaſit &c. ] Quibus in verbis vides quanta ſit vis ad rem exaggerandam, & animos excitandos.

Ea verò duplex eſt: Verborum altera, altera Rerum.

*Amplificatio Verborum.*

Quatuor modis hæc fit. I. Per verba translata. II. Per verba gravia, atque ſplendida. III. Per verba exaggerantia. IV. Per Commorationem.

I. Per *verba translata* fit Amplificatio, cùm ad rem illuſtrandam metaphoricis utimur locutionibus. Cic. *pro Mil.* [ Quid odiſſet Clodium Milo ſegetem, ac materiam gloriæ ſuæ? ]

II. Per *verba gravia*, atque *ſplendida* fit, cùm verbis utimur plenis, & numeroſis, quæ rem ſigni-

gnificantiùs exprimant. Cic. *pro Marcel.* [ Nullius tantum eſt flumen ingenii, nulli dicendi, aut ſcribendi tanta vis, tantaque copia, quæ, non dicam, exornare, ſed enarrare, C. Cæſar, res tuas geſtas poſſit. ]

III. Per *verba exaggerantia* fit, cùm verbis utimur, quæ veritatem excedant. Cic. *pro L. Manil.* de Pompejo. [ Qui ſæpius cum hoſte conflixit, quàm quiſquam cum inimico concertavit, plura bella geſſit, quàm alii legerunt; plures provincias confecit, quàm alii concupiverant: cujus adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris non alienis præceptis, ſed ſuis imperiis, non offenſionibus belli, ſed victoriis, non ſtipendiis, ſed triumphis eſt erudita. ]

IV. Per *Commorationem*, quæ & *Expolitio* dicitur, fit, cùm eadem ſententia tandiu mutatis verbis idem pene ſignificantibus verſatur; donec animo penitus inſideat. Cic. *pro Ligario.* [ Quid enim, Tubero, tuus ille diſtrictus in acie pharſalica gladius agebat? Cujus latus mucro ille petebat? Qui ſenſus erat armorum tuorum? Quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? Quid cupiebas? Quid optabas? ]

*Amplificatio Rerum.*

Fit modis octo. I. Per Definitiones conglobatas. II. Per Congeriem cauſarum, ſive effectorum. III. Per partium Enumerationem. IV. Per Adjuncta. V. Per Comparationem, Similitudinem, vel Exempla. VI. Per Conflictionem Contrariorum. VII. Per Incrementum. VIII. Per

Ra-

Digitized by Google

Ratiocinationem.

I. Per *Definitiones conglobatas* fit, cùm definitiones multæ brevibus verbis contentæ congeruntur, ad rem explicandam magis. Cic. *pro Mil.* [ Erat id temporis clariſſimus,& fortiſſimus Conſul, inimicus Clodio P. Lentulus, ultor ſceleris illius, propugnator Senatus, defenſor veſtræ voluntatis, patronus illius publici conſeſſus, reſtitutor ſalutis meæ. ] Sed definitiones iſtæ nimiùm in longum non protrahantur, ne puerile quid ſapiant.

II. Per *Congeriem Cauſarum*, ſive *Effectorum* fit, cùm plures rei cauſas, vel effecta ( ſive etiam Antecedentia,& Conſequentia,quæ commodè ad illa reducuntur ) coacervamus. Cic. *pro Lege Man.* ab effectis Pompeji virtutem ſic extollit: [ Quid tam novum, quàm adoleſcentem privatum exercitum difficili Reip. tempore conficere? confecit: huic præeſſe? præfuit: rem optimè ductu ſuo gerere? geſſit. Quid tam præter conſuetudinem, quàm homini peradoleſcenti, cujus à Senatorio gradu ætas longè abeſſet, imperium, atque exercitum dari? Siciliam permitti, atque Africam, bellumque in ea adminiſtrandum? Fuit in iis provinciis ſingulari innocentia, gravitate, virtute: Bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit. Quid verò tam inauditum, quàm Equitem Rom. triumphare? at eam quoque rem Populus Rom. non modò vidit, ſed etiam ſtudio omni viſendam putavit. Quid &c.]

III. Per *Enumerationem partium* fit, cùm rei par-

partes, ſive phyſicæ, ſive morales eæ ſint, ponderando percurrimus. Cic. *pro Domo ſua* inimicorum crudelitatem in ſuam familiam exprobraturus, nomen hoc *Familiam* ita per partes amplificat: [ Quid enim vos Uxor mea miſera violarat; quam vexaſtis, rapuiſtis, omni crudelitate laceraviſtis? quid mea filia, cujus fletus aſſidui, ſordeſque lugubres vobis erant jucundæ, cæterorum omnium mentes, oculoſque flectebant? quid parvus filius, quem, quandiu abfui, nemo, niſi lacrimantem, confectumque vidit? quid frater meus, qui cùm aliquando poſt meum diſceſſum ex Provincia veniſſet; neque ſibi vivendum, niſi me reſtituto, putaret; quoties ex veſtro ferro, & manibus eſt elapſus? ]

IV. Per *Adjuncta* fit, cùm à Rerum, ſive Perſonarum circumſtantiis ducitur. Cic. *Verr.* 5. Verris negligentiam in tuenda provincia ſic explicat. [ Æſtate ſumma, quo tempore cæteri Prætores obire provinciam, & concurſare conſueverunt; eo tempore ad luxuriam, libidineſque ſuas domo ſua regia, qua Prætores uti ſolent, contentus non fuit. Tabernacula, quemadmodum conſueverat temporibus Eſtivis, carbaſeis intenta velis, collocari juſſit in littore, qui eſt propter ipſum introitum, atque oſtium portus; amœno ſanè, atque ab arbitris remoto loco. Hìc dies æſtivos ſexaginta Prætor Populi Rom., cuſtos, defenſorque provinciæ ſic vixit, ut muliebria quotidie convivia eſſent &c. ]

V. Per *Comparationem*, *Similitudinem*, vel *Exem-*

*Exempla* fit, cùm per illa rem magis explicamus. Cic. *poſt reditum in Sen.* Comparationem ſic adhibet: [Quòd ſi parentes chariſſimos habere debemus; quòd ab iis nobis vita, patrimonium, libertas, civitas tradita eſt; ſi Deos immortales, quorum beneficio & hæc tenemus, & cæteris rebus aucti ſumus; ſi Populum Rom., cujus honoribus in ampliſſimo conſilio, & in altiſſimo gradu dignitatis collocati ſumus; ſi hunc ipſum Ordinem, à quo ſæpe magnificentiſſimis decretis ſumus honeſtati; immenſum quiddam, & infinitum eſt, quod vobis debemus; qui veſtro ſingulari ſtudio, atque conſenſu parentum beneficia, Deorum immortalium munera, Populi Rom. honores, veſtra de me multa judicia nobis omnia uno tempore reddidiſtis.]

Similitudine verò *in Orat. ad Quir. poſt red.* ſic utitur: [Tanquam bona valetudo jucundior eſt iis, qui è gravi morbo recreati ſunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt; ſic ea omnia deſiderata magis, quàm aſſiduè percepta delectant.]

Demum *in Catil.* Exemplum ſic proponit: [An verò vir ampliſſimus P. Scipio Pontifex maximus Tiberium Graccum mediocriter labefactantem ſtatum Reip. privatus interfecit; Catilinam verò orbem terræ cæde, atque incendiis vaſtare cupientem nos Conſules perferemus?]

VI. Per *Conflictionem Contrariorum* fit, cùm plura congerimus contraria, ut rei veritas innoteſcat magis: Oppoſita enim, ut ajunt, juxta ſe poſita, magis eluceſcunt. Cic. *Philip.* 2. [Tam autem

eras excors, ut tota in oratione tua tecum ipſe pugnares; ut non modò non cohærentia inter ſe diceres, ſed maximè disjuncta, atque contraria; & non tam mecum, quàm tecum tibi eſſet contentio. Vitricum tuum in tanto fuiſſe ſcelere fatebare, pœnâ affectum querebare: ita quod propriè meum eſt, laudaſti; quod totius Senatus, reprehendiſti: nam cùm comprehenſio ſontium mea, animadverſio Senatùs fuerit; homo diſertus non intelligit eum, quem contra dicit, laudari à ſe; eos, apud quos dicit, vituperari.]

VII. Per *Incrementum* fit, cùm Oratio per gradus veluti quoſdam eundo creſcit. Cic. *in Verr.* [Facinus eſt vincire Civem Rom., ſcelus verberare, prope parricidium necare; quid erit in crucem tollere?] Poſſumus etiam in ſingulis gradibus amplificandi gratiâ commorari. Cic. *in eundem* ſic ejus rapacitatem carpit: [Levia ſunt hæc in hoc reo crimina. Metum virgarum navarcus pretio redemit: humanum. Alius, ne condemnaretur, pecuniam dedit: uſitatum eſt. Non vult Populus Rom. obſoletis criminibus accuſari Verrem: nova poſtulat; inaudita deſiderat. Includuntur in carcerem condemnati; ſupplicium ſtatuitur in illos: ſumitur de miſeris parentibus navarcorum: prohibentur adire ad filios ſuos: patres jacebant in limine; matres miſeræ pernoctabant ad oſtium carceris ab extremo complexu liberorum excluſæ: quæ nihil aliud orabant; niſi ut filiorum extremum ſpiritum excipere ſibi liceret. Aderat janitor carceris, carnifex Prætoris,

cui

cui ex omni gemitu, doloreque cèrta merces comparabatur. Ut adeas, tantum dabis. Ut cibum tibi intro ferre liceat, tantum. Nemo recuſabat. Quid, ut uno ictu ſecuris afferam mortem? Quid dabis, ne diu crucietur? ne ſæpius feriatur? ne cum ſenſu doloris aliquo, aut cruciatùs ſpiritus auferatur? Etiam ob hanc cauſam pecunia lictori dabatur.]

VIII. Per *Ratiocinationem* fit, cùm exaggeramus aliquid, ut aliud inde creſcat: ſic fortitudo hoſtium extollitur, ut victoriæ innoteſcat magnitudo. Cic. *pro Lege Man.* ut efferat Pompeii victoriam contra prædones; damna ab his antea illata ſic commemorat: [Quis toto mari locus per hos annos aut tam firmum habuit præſidium, ut tutus eſſet; aut tam fuit abditus, ut lateret? Quis navigavit, qui non ſe aut mortis, aut ſervitutis periculo committeret; cùm aut hyeme, aut referto prædonum mari navigaret? Quam provinciam tenuiſtis à prædonibus liberam per hoſce annos? Quod vectigal vobis tutum fuit? Quem ſocium defendiſtis? Cui præſidio claſſibus veſtris fuiſtis? &c.]

*Quid in amplificatione cavendum.*

Caveat Tiro, ne amplificationis gratiâ quæquæ minima exiliter adnotet, & proponat: hæc enim tenuis dicendi ratio faſtidio eſt auditoribus; neque pondus orationi accerſit; qui finis eſt amplificationis præcipuus. Caveat præterea, ne, ut in longum protrahat amplificationem ſuam, verba vacua, & inania in illam inferciat, quæ non niſi

ſterilem ſonum habeant. Nihil itaque in orationem inferat, per quod vis rei, & pondus non accedat,

## ARTICULUS IV.

### *De Orationis Confirmatione.*

CONfirmatio eſt pars Orationis potiſſima, in qua Cauſam noſtram rationum pondere ſtabilimus. Duas habet partes: Prima eſt, qua rationes, ſive argumenta proferimus, quæ rem noſtram confirment. Altera eſt, qua rationibus adverſariorum occurrimus, quæ propriè dicitur *Confutatio*. Rationes, vel argumenta ad Cauſam confirmandam unde eruenda ſint, docui *Inſtit.* IV. *Cap.* I. *Art.* II. ubi de Argumentorum inventione dictum eſt. Supereſt, ut doceam. I. Quo pacto Argumenta hæc in Argumentationis formam componantur. II. Qua arte debeant in oratione collocari. III. Quomodo tractanda ſit Confutatio.

*Quid ſit Argumentatio, & Quotuplex.*

Argumentatio eſt [ Argumenti artificioſa explicatio. ] Hoc diſtat inter Argumentationem, & Argumentum; quòd Argumentatio eſt modus, ſive ratio, qua tractamus argumenta: Argumentum verò eſt ipſius Argumentationis materia.

Argumentationum genera præcipua ſunt Syllogiſmus, Enthymema, Sorites, Dilemma, Epicherema, Collectio, Inductio, & Exemplum. Hæc explico ſingulatim.

*Syl-*

Digitized by Google

*Syllogiſmus.*

Duplex diſtinguitur Syllogiſmus: Philoſophicus alter, alter Oratorius.

*Philoſophicus* tribus conſtat propoſitionibus, quarum prima vocatur Major; ſecunda Minor, quam Aſſumptionem appellat Cicero; tertia, quæ ex illis deducitur, Concluſio. Singulæ verò propoſitiones Subjecto conſtant, & Prædicato. Subjectum id eſt, de quo aliquid dicimus; Prædicatum verò eſt id, quod dicimus. Sic in iſta Propoſitione [ Cicero erat Conſul. ] Cicero eſt Subjectum, quòd de eo dicimus fuiſſe Conſulem. *Conſul* verò eſt Prædicatum: eſt enim id, quod de Cicerone dicimus. Jam verò ſi ad probandum aliquid, velis philoſophicum Syllogiſmum efficere; ſtatue tibi propoſitionem, quam probatam velis: e. g. [ Clodius jure occiditur. ] Inquire deinde rationem ab uno è locis communibus petitam, quare ea propoſitio vera ſit. e. g. [ Quia erat inſidiator. ] Jam rationem, ſive cauſam iſtam fac unias cum prædicato propoſitionis probandæ, ſic: [ Inſidiator jure occiditur. ] En tibi propoſitionem, quæ dicitur *Major*. Uni deinde ſubjectum probandæ ejuſdem propoſitionis cum illa eadem cauſa, ſic: [ Clodius eſt inſidiator: ] En tibi propoſitionem, quæ *Minor* appellatur. Tandem propoſitionem probandam poſt illas colloca, quæ legitimè ex antecedentibus propoſitionibus inferetur ut *Concluſio*: [ Clodius igitur jure occiditur. ] atque ita en integrum Syllogiſmum:

*Major*: Inſidiator jure occiditur.
*Minor*: Clodius eſt inſidiator.
*Concluſio*: Clodius igitur jure occiditur.

*Oratorius* verò *Syllogiſmus* non his modò, ſed & duabus aliis propoſitionibus conſtat; quarum prima Majorem probet; Minorem altera: e. g. Syllogiſmus iſte philoſophicus. [ Omne vitium eſt fugiendum. Pigritia eſt vitium. Ergo pigritia eſt fugienda. ] ſi velit oratoriè proponi; poterit ita dici:

*Major*: Omne vitium eſt fugiendum.
*Probatio Ma*: Quia turpe eſt, & perniciosum.
*Minor*: Pigritia eſt vitium.
*Probatio Mi*: Quia ſummis utilitatibus unũquemque privat.
*Concluſio*: Ergo pigritia eſt fugienda.

Duo hìc te moneo. Primum eſt Oratorem non tenuiter, ac jejunè more Dialecticorum tractare Syllogiſmos ſuos: (quod & de reliquis Argumentationibus dico) ſed amplificare propoſitiones ſingulas, verbis, & figuris ornare, atque, ubi opus fuerit, probare etiam ulteriùs. Alterum eſt, propoſitionum ordinem non ita ſanctè ſervandum eſſe, ut inverti non poſſit: quin artem inverſo ordine diſſimulare, ars ſumma eſt. Quòd ſi ex propoſitionibus aliqua adeo clara eſt, ut probatione non indigeat; omitti ejus probatio poterit, & Syllogiſmus quadripartitus haberi, vel etiam tripartitus, ſi utraque ſit perſpicua.

Oratorii Syllogiſmi exemplum dat Cic. *Lib.* 1: *de Invent*. Proponit argumento firmandam propoſi-

poſitionem hanc: [ Conſilio mundus adminiſtratur: ] quam ſic probat: ( Major ) Meliùs accurantur, quæ conſilio geruntur, quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur. ( Majoris probatio ) Domus ea, quæ ratione regitur, omnibus inſtructior eſt rebus, & apparatior, quàm ea, quæ temerè, & nullo conſilio adminiſtratur. Exercitus is, cui præpoſitus eſt callidus, & ſapiens Imperator, omnibus partibus commodiùs regitur, quàm is, qui ſtultitiâ, & temeritate alicujus adminiſtratur. Eadem navigii ratio eſt: nam navis optimè curſum conficit ea, quæ ſcientiſſimo gubernatore utitur. ( Minor ) Nihil autem omnium rerum meliùs, quàm omnis mundus adminiſtratur. ( Minoris probatio ) Nam & ſignorum ortus, & obitus definitum quendam ordinem ſervant; & annuæ commutationes non modò quadam ex neceſſitate ſemper eodem modo fiunt; verùm ad utilitates quoque rerum omnium ſunt accommodatæ, & diurnæ, nocturnæque viciſſitudines nulla in re unquam mutatæ quidquam nocuerunt. ( Concluſio ) Conſilio igitur mundus adminiſtratur.

*Enthymema.*

Enthymema eſt Syllogiſmus imperfectus; quòd vel majore careat, vel minore; quarum altera, cùm facilè ſubintelligi poſſit, omittitur: Sic Syllogiſmum hunc [ Qui vult pacem, ponit arma: Antonius vult pacem: ponat igitur arma ] Enthymemate concluſit Cicero: [ Pacem vult Antonius? arma ponat. ]

*Sorites.*

Sorites eſt Argumentatio, quæ per multa gradatim, & acervatim congeſta, per quoſdam veluti gradus ad concluſionem venit. Cic. probaturus Prætorem ex vectigali pecuniam dediſſe, Sorite ſic utitur *Lib.* 1. *de Divin.* [ Si Prætor pecuniam dedit, à Quæſtore numeravit; Quæſtor à publica menſa; publica menſa ex vectigali: ergo ſi Prætor pecuniam dedit, ex vectigali dedit. ] Sed hoc argumenti genus ſolet ſæpe eſſe fallax, & captioſum: facile enim eſt, dum tam multa coacervantur, aliquid non legitimum admittere, aut minùs ex antecedente conſequens; quare ne illi nimiùm fidas.

*Dilemma.*

Dilemma eſt Argumentatio, quæ duas propoſitiones complectitur, ita inter ſeſe contrarias; ut negare utramque adverſarius non poſſit: quare alterutram dum concedit, quæcumque illa ſit, reprehenditur. Cic. *pro Quirit.* [ Antequam poſtulaſti, ut bona poſſideres, miſiſti, qui curarent, ut dominus de ſuo fundo dejiceretur? Utrumlibet elige. Alterum incredibile eſt, alterum nefarium, & ante hoc tempus utrumque inauditum. Sexcenta millia paſſuum vis eſſe decurſa biduo? dic: negas? ante igitur miſiſti: malo; ſi enim illud diceres; jam improbè mentiri viderere: cùm hoc confiteris; id te admiſiſſe concedis, quod ne mendacio quidem tegere poſſis. ]

*Epicherema.*

Epicherema eſt Syllogiſmus breviter compre-

hen-

Digitized by Google

henſus, cujus tres partes in unam coaleſcunt. Cic. *pro Lege Man.* [Quoniam ſemper appetentes gloriæ præter cæteras gentes, atque avidi laudis fuiſtis; delenda eſt vobis illa macula Mitridatico bello ſuperiore ſuſcepta.] qua propoſitione integrum hunc ſyllogiſmum concludit: [Qui ſunt appetentes gloriæ, ſuſceptas maculas delere ſtudent: vos gloriæ eſtis appetentes: delenda eſt igitur vobis macula Mitridatico bello ſuſcepta.]

*Collectio.*

Collectio eſt Argumentatio; quæ integræ orationis ſpeciem præſefert. Quinque habet partes: nempe I. Propoſitionem. II. Propoſitionis rationem. III. Rationis Confirmationem. IV. Rationis, & Confirmationis Exornationem: V. Complexionem, ſive Concluſionem. *Catilinaria* 3. eſt perfectum Collectionis exemplum; quæ ſic procedit: Propoſitio. [Hic dies eſt ſupplicatione Deorum celebrandus.] Ratio. [Quia hodie Cicero Remp. ſervavit.] Rationis confirmatio. [Nam conſilio, ac vigilantia ſua conjurationem Catilinæ comperit, & extinxit.] Exornatio. [Fuit hæc ſingularis, ac divina Conſulis induſtria; ut longè omnium maxima, crudeliſſimaque conjuratio ſine ſanguine civium extingueretur.] Complexio. [Quare hic dies Deorum ſupplicatione eſt celebrandus.]

*Inductio.*

Inductio eſt Argumentatio, qua per affirmationem multorum ſingularium id, quod in quæſtionem venerit, affirmamus. Cic. *Ver.* 5. hoc argumen-



Digitized by Google

gumento probat oportere eum, qui alterum reprehendit, eo vitio maximè abſtinere, quod reprehendit. [Furem aliquem, aut rapacem accuſâris? vitanda tibi ſemper erit omnis avaritiæ ſuſpicio. Maleficum quempiam adduxeris, aut crudelem? cavendum erit ſemper, ne qua in re aſperior, aut inhumanior fuiſſe videare. Corruptorem, adulterum? providendum diligenter, ne quod in vita veſtigium libidinis appareat. Omnia poſtremò, quæ vindicâris in altero, tibi ipſi vehementer fugienda ſunt.] Ut ad probandum vim habeat hæc Argumentatio, tria ſervet. I. ut plura ſimilia congerat. II. ut ea plura ſimilitudinem habeant cum re, quam inferre velimus. III. ut ea plura ſimilia certa ſint apud ipſos etiam adverſarios.

*Exemplum.*

Exemplum eſt imperfecta Inductio, quæ ex unius ſingularis affirmatione ad alterum illi ſimile argumentatur. Cic. *pro Amerino*, qui, quòd prædia ſua ipſe coleret, arguebatur: ab Exemplo probat ejus artis honeſtatem. [Næ tu, Eruci, accuſator eſſes ridiculus; ſi illis temporibus natus eſſes; cùm ab aratro arceſſebantur, qui Conſules fierent; etenim qui præeſſe agro colendo flagitium putes; profectò illum Attilium, quem ſua manu ſpargentem ſemen, qui miſſi erant, convenerunt, hominem turpiſſimum, atque inhoneſtiſſimum judicares.]

*Qua arte debeant Argumenta collocari.*

Tria de re hac præcipiuntur.

Pri-

Primum eſt, ut argumenta non uno omnia argumentationis genere proponantur; ſed primum e. g. Syllogiſmo efferes, ſecundum Dilemmate, tertium Enthymemate &c.

Alterum eſt, ut validiſſima quæque argumenta primum, atque poſtremum locum obtineant: nam maximè initio attendit Auditor, & quæ poſtrema audiuntur altiùs inhærent. In medio infirmiora concluduntur: niſi fortè velis à levioribus inchoando, paulatim ad firmiora gradum facere; donec ad validiſſimum pervenies, quod ultimo ſemper loco reſervatum voles.

Tertium eſt, ut validiora argumenta ſeorſim, diſtinctiùs, atque uberiùs tractentur, & figuris vehementioribus exornentur. Contrà leviora mitioribus contenta ſunt figuris. Hic verò figurarum uſus maximè eſt in argumentationibus neceſſarius: mirum enim quantum roboris afferant figuræ iſtæ; quas ſi demas; omnia affirmantis, aut narrantis, vel judicantis more frigido ſtylo langueſcent. Quamobrem optimus quiſque Orator frequenter à ſe ipſo rationem repoſcit, optat, imperat, communicat, exclamat, admiratur, ſubjicit, reprehendit, & ſimilia his habet; quæ maximè fervidam, & illuſtrem orationem præſtant.

### *De Confutatione.*

Confutatio eſt Orationis pars illa, quæ in refellendis adverſariorum rationibus occupatur. De ea verò hæc ſunt notanda.

I. Servari oportet, quod docet Cic. 2. *de Orat.* § Summa hujus generis eſt, ut ſi in refellendo ad-

ver-

verſario firmior eſſe oratio, quàm in confirmandis noſtris rebus poteſt; omnia in illum conferenda tela. Sin noſtra faciliùs probari, quàm illa redargui poſſunt; abducere alios à contraria defenſione, & ad noſtram conor traducere. ]

II. Ordo in collocandis adverſarii argumentis contrarius ſit oportet, quàm qui eſt in Confirmatione. Primo, & ultimo loco infirmiora collocentur; ut in iis refutandis magis triumphet oratio; validiora in medio.

III. Per vehementes figuras tractanda eſt Confutatio: maximè verò prompto quodam animo, ac veluti per contemptum exagitentur argumenta oppoſita: ut ea ſic allevet Orator, infringat, ſeque illis ſuperiorem oſtentet.

IV. Nonnulla admodum inania ſibi aliquando objicit de induſtria Orator; quæ leviter, vel certè nunquam objecerat adverſarius. Sed id magna arte fit; nimirum ut adverſarii fides elevetur, & detur aliis deridendus; tum ut triumphet Oratio; dum objecta illa inania evertit penitùs, ac delet. Cic. *pro Mil.* objicit ſibi: [ Fas non eſſe lucem intueri ei, qui alterum occiderit.] quòd cùm nemo unquam ſanæ mentis aſſerat; vix credi poteſt argumento huic fiſos fuiſſe Milonis adverſarios, atque ut validum objeciſſe.

Cæterùm tribus modis fieri Confutatio poteſt: Negando, Redarguendo, & Elevando.

*Negando* fit, cùm quod objicit adverſarius, falſum eſſe, dicimus. Cic. *pro Quinct.* [ Negamus te bona Quinctii, S. Nævi, poſſediſſe ex edicto Prætoris. ]

ris.] vel cùm oſtẽdimus nullo rem niti fundamento. Cic. *pro Roſc. Amer.* [ Exhæredare pater filium cogitabat. Quæro: quî ſcias? Quid affers, quare id factum putemus? Verè nihil potes dicere. Finge aliquid ſaltem commodè: ut ne planè videaris, id facere, quod apertè facis, hujus miſeri fortunis, & horum virorum talium dignitati illudere. Exhæredare filium voluit. Quam ob cauſam? Neſcio. Exhæredavit ne? Non. Quis prohibuit? Cogitabat. Cogitabat? Cui dixit? nemini. Quid eſt aliud judicio, & legibus, & majeſtate veſtra abuti ad quæſtum, atque libidinem; niſi hoc modo accuſare? ]

*Redarguendo* fit, ſi inter ſe pugnantia dici ab adverſario oſtendimus Cic. *Philip.* 2. [Sed ſtuporem hominis, ne dicam pecudis, attendite: ſic enim dixit M. Brutus, quem ego honoris cauſâ nomino, cruentum pugionem tenens, Ciceronem exclamavit: ex quo intelligi debet, eum conſcium fuiſſe. Ergo ego ſceleratus appellor a te, quem tu ſuſpicatum aliquid ſuſpicaris: ille, qui ſtillantem præ ſe pugionem tulit, is à te honoris cauſâ nominatur? Eſto, ſit in verbis tuis hic ſtupor: quantò in rebus, ſententiiſque major? ]

Fit etiam, ſi crimen in adverſarios detorquemus. Cic. *Phil.* 2. [Jam illud cujus eſt, non dico audaciæ; (cupit enim ſe audacem dici) ſed, quod minimè vult, ſtultitiæ, qua vincit omnes; in Clivo Capitolino Cicero Conſul milites collocaverat; ad Urbem tuendam contra Catilinam. Clivi Capitolini mentionem facere: cùm inter ſubſellia


Digitized by Google

lia noſtra verſentur armati? cùm in hac Cælla Concordiæ, o Dii immortales! in qua, me Conſule, ſalutares ſententiæ dictæ ſunt, quibus ad hanc diem viximus; cum gladiis homines collocati ſtent? Quid eſt dementiùs, quàm cùm ipſe in Remp. perniciosa arma ceperis; objicere alteri ſalutaria? ]

*Elevando* fit, cùm crimen negare non audemus; ſed tamen, ut poſſumus, elevamus. Sic Cic. objectum Cœlio luxuriæ vitium, quod negare non poteſt, imminuit; dum illud partim temporum vitio, partim ætati tribuit.

Fit etiam, cùm parum fidentes cauſæ noſtræ, non tam rationibus Confutationem firmamus, quàm ſalibus illam, atque jocis condimus; quæ dum Auditorum animos exhilarant; molliunt, & ad manſuetudinem revocant. Sic Cic. L. Flaccum à multis teſtibus accuſatum non tam rationibus, quàm lætiſſima illa ſua facetè dicendi feſtivitate ſeveritati Judicum eripuit.

## ARTICULUS V.

### *De Orationis Peroratione.*

PEroratio eſt: [Artificioſus Orationis exitus; in quo id, quod tota oratione quæſitum eſt, vehementiùs evincere Orator contendit. ] In ea benè condenda ſtudeat diligenter Orator: talis enim ſit oportet, ut totam orationis totius vim paucis concludat, & in Auditorum animos jaciat;

ſemen-

ſemenque rerum dictarum, & aculeum in illis veluti relinquat; quò pulſus Auditor, etiam poſtquàm diſceſſerit, animi commotionem ſentiat.

Duabus ea partibus conſtat. Enumeratione, & Affectuum Commotione.

*Enumeratio* ea eſt, in qua argumenta per totam Orationem diſpoſita in unum colligimus, & ſub uno veluti aſpectu collocamus. In quo curandum eſt: I. ut quæ repetimus, curſim, & quàm breviſſimè dicantur; ne novam potiùs orationem, quàm perorationem condere videamur. II. ut non iiſdem verbis, ac formulis, quibus antea, repetantur. III. ut non omnia, quæ dicta fuerant, proferamus; ſed ea tantùm, quibus maximè cauſa conſiſtit; quæque velimus Auditorum animis potiſſimùm inhærere. Exemplum Enumerationis abſolutiſſimum habes in *Orat. pro Lege Man.* [Quare cùm & bellum ita neceſſarium ſit, ut negligi non poſſit; ita magnum, ut accuratiſſimè ſit adminiſtrandum; & cùm ei Imperatorem præficere poſſitis, in quo ſit eximia belli ſcientia, ſingularis virtus, clariſſima auctoritas, egregia fortuna; dubitatis, Quirites, quin hoc tantum bonum, quod à Diis immortalibus oblatum, & datum eſt, in Remp. conſervandam, atque amplificandam conferatis.]

*Affectuum Commotio* maximè Perorationi competit, quæ Sedes affectuum dicitur: ſit itaque vehemens quàm maximè ad permovendos animos; figuras ferventiores adhibeat, quæ ſunt Exclamatio, Apoſtrophe, Interrogatio, Commiſeratio, De-

Digitized by Google

Deprecatio, Proſopopeja, &c. quibus Ciceroniana perorationes abundant: ſed & brevis ſit etiam; ne langueſcant concitati ſemel affectus. De Arte concitandorum animi affectuum, deque Amplificatione, quæ multùm animi motibus inſervit, vide, quæ ſuo loco tractavimus. Lege Perorationes omnes Ciceronianas; ſed Milonianam potiſſimùm.

## ARTICULUS VI.

### *Condendæ Orationis breve Artificium.*

QUinque conſtat Oratio partibus: Exordio, Propoſitione, Narratione, Confirmatione, & Peroratione.

*Exordium* ex viſceribus cauſæ deſumitur; Auditorum animos conciliat Oratori; & prima continet rerum ſemina, quæ in tota oratione tractantur.

*Propoſitio* rei ſummam, quæ tota oratione tractanda eſt, ut ſcopus orationis totius, brevibus omnino verbis concluſam proponit.

*Narratio*, quæ in genere judiciali locum habere ſolet, rem exponit iis coloribus depictam, quibus cauſæ noſtræ æquitatem Auditores inſpiciant.

*Confirmatio* duo, vel tria ſeligit argumenta, quibus cauſa maximè comprobetur: eaque variis argumentationum generibus tractat; quarum partes ſingulas amplificat, verbis, & figuris exornat,

ap is

aptis tranſitionibus colligat: quòd ſi quid objecerat adverſarius, reſolvit.

*Peroratio* validiora argumenta, quæ per totam orationem ſparſa erant, in unum colligit, & ſummatim exponit: affectuſque in Auditoribus excitare, ut eos in ſuam ſententiam pertrahat, contendit.

## ARTICULUS VII.

### *De Tranſitionibus Orationis.*

TRanſitio eſt: [Partium orationis nexus quidam; quo ex uno ad aliud aptè progreditur.] Eæ Tranſitiones venuſtiores eſſe exiſtimantur, quæ ultro ex re ipſa enaſcuntur. Quoniam verò in iis inveniendis hærent quàm maximè adoleſcentes; præter eas, quas dedi *Inſtit.* II. *Cap.* II. *Art.* III. *pag.* 38. ubi de Epiſtolis egi, alias affero ex eodem Tullio selectas; quibus vel uti poſſint, vel ſimiles excogitare.

Venio nunc ad M. Catonem; quod eſt firmamentum, & robur totius accuſationis.

Sed nimis multa de nugis: ad majora veniamus.

Accipite jam aliud ejus facinus nobile, & multis locis ſæpè commemoratum; & ejuſmodi, ut in uno omnia maleficia ineſſe videantur.

Magna ſunt hæc, vel potiùs maxima: jam verò quantò majus videtur: &c.

Quoniam de genere belli dixi: nunc de ma-

gnitudine pauca dicam.

Sed hæc vetera: illud verò recens: Cæſarem meo conſilio interfectum.

Verùm hæc ita prætereamus; ut tamen, intuentes, & reſpectantes relinquamus. Ad tribunal, quia ipſum ad ſeſe jam dudùm vocat, & quodammodò abſorbet orationem meam, contento ſtudio, curſuque veniamus.

Sinite me illa minora, atque quotidiana prætermittere.

Cauſa quæ ſit, videtis: nunc quid agendum ſit conſiderate.

Sed ne fortè ex multis rebus geſtis M. Antonii rem unam pulcherrimam tranſiliat oratio; ad Lupercalia veniamus.

Sed quid ego his argumentis utor; quaſi res dubia, atque obſcura ſit?

Illud tamen, quamquàm ad exitum feſtinet oratio, prætermittere nullo modo poſſum.

Verùm hæc miſſa facio; illud quæro, &c.

Nihil igitur in vita Murenæ dici poteſt: nihil, inquam, omnino. Quo conſtituto facilior eſt mihi aditus ad contentionem dignitatis; quæ pars altera fuit accuſationis.

Quæſturâ illius demonſtratâ; reliqua attendite.

Sed cur tamdiu de uno hoſte loquimur; & de eo, qui jam fatetur ſe eſſe hoſtem, de his, qui diſſimulant, qui Romæ remanent, qui nobiſcum ſunt, nihil dicimus?

Quæ cùm ſint gravia; illud acerbiſſimum

eſt,

Digitized by Google

eſt, quòd habet tres accuſatores.

Atque ut inde oratio mea proficiſcatur ; unde hæc omnis cauſa ducitur.

Sed quoniam emerſiſſe jam è vadis, & ſcopulos prætervecta videtur oratio mea ; perfacilis mihi reliquus curſus oſtenditur.

Sed hæc robuſtioris improbitatis ſcelera omittamus: loquamur potiùs de iniquiſſimo genere levitatis.

Age verò, non ſemper forum, ſubſellia, roſtra, curiamque meditemur.

Quid ab his tot maleficiis ſceleris abeſſe videtur? Tamen hæc aliis nefariis cumulant, atque adaugent.

Nunc mihi tertius ille locus eſt orationis de ambitùs criminibus retractandus.

Satis mihi multa verba feciſſe videor, quare hoc bellum eſſet genere ipſo neceſſarium, magnitudine periculoſum. Reſtat, ut, de Imperatore ad id bellum deligendo dicendum eſſe, videatur.

Sed jam ſatis multa de cauſa: extra cauſam nimis fortaſſe multa. Quid reſtat, niſi ut orem, obteſterque vos, Judices, ut &c.

Sed finis ſit: neque enim præ lacrymis jam loqui poſſum; & hic ſe lacrymis defendi vetat.



Digitized by Google

## CAPUT III.

### *De Elocutione.*

ELocutio eſt: [ Rerum inventarum per verba, atque ſententias idoneas expoſitio. ] Poſtquam enim Orator argumenta invenit, in varias argumentationes diſpoſuit, totamque orationem ſuas in partes diſtribuit; reliquum eſt, ut hæc omnia eo verborum apparatu, atque figurarum proponat; ut faciliùs omnia in Auditorum animos inſinuentur; atque libenter audita, quem velis, fructum reportent: Quatuor in Elocutione curanda ſunt. I. ut ſit Pura. II. ut ſit Ornata. III. ut ſit Diſpoſita. IV. ut ſit Apta.

## ARTICULUS I.

### *Elocutio Pura.*

PUritas Elocutionis poſtulat, ut Barbariſmos omnes, & Solæciſmos vitemus; ut non niſi a probatis Auctoribus uſurpata verba adhibeamus.

Barbariſmus eſt [ Vox vel omnino barbara, & peregrina, vel vitiosè ſcripta, aut pronunciata] e. g. Avviſare pro Admonere. Santus, pro Sanctus. Legebit, pro Leget. Dannum, pro Damnum. Solæciſmus eſt: [Partium orationis vitioſa compoſitio:] cùm ſcilicet voces cæteroqui latinæ,

ma-

Digitized by Google

malè inter ſeſe, nec juxta leges grammaticæ, copulantur; ſive id fiat per *Commutationem*, ut Tibi diligo; ſive per *Detractionem*, ut Redeo agro; ſive per *Adjectionem*, ut Scribo cum calamo; ſive per *Perturbationem* ordinis, ut Autem non amat.

Ut verò Barbariſmos arceas ab oratione, & latinæ linguæ integritatem ſerves, cura diligenter, ut nullam vocem uſurpes, non ſyntaxim, non caſum, non modum, tempus, aut numerum, quem non apud probatum Scriptorem inveneris. At dices; multa non protuliſſe Scriptores illos, non quòd latina non erant; ſed quòd occaſio non tulerit. Ego certè ita eſſe rem cenſeo; dum generaliter loquimur: tu verò unde habes, vocem illam in particulari non, niſi ex occaſionis defectu, fuiſſe probatam? Hoc porrò divinare eſt; non autem certam legem, atque tutam ſtatuere: quis enim ſcit, utrùm ſyntaxis illa, vel vocabulum, aut certè caſus ille, numerus &c. fuerint in uſu apud antiquos nec ne? cùm præſertim neminem lateat, multa eſſe anomala vocabula, quæ numero aliquo, vel caſu, vel tempore deſtituantur omnino.

Sed quoniam video præcepto hoc anguſtari nimis vocum latinarum copiam, atque legem induci obſervatu difficillimam; ſic ſtatuo: Tutiora iſta vocabula, caſus, tempora &c., quæ apud Veteres inveniuntur, incertis omnino eſſe præferenda: quòd ſi iſta non ſuppetant; utere voce illa, caſu, vel numero ejus dictionis, quæ, etſi non integra, aliquis tamen ejus caſus, numerus &c. apud claſſicum Auctorem deprehenditur uſurpatus; licet

enim, ratione analogiæ, cæteros caſus, aut tempora arbitrari, eſſe latina; niſi verò aut propter auctoritatem aſſerentium, ea vox communi conſenſu inter anomalas reponatur; aut caſus ille, numerus &c. propter ejus aſperitatem, terſis, & eruditis auribus repudietur: ut eſt quintæ Declinationis poſitio genitivi pluralis *Sperum.*

Si verò aliquid tibi explicandum venit Veteribus prorſus ignotum, de quo latini veteres mentionem in ſuis ſcriptis non fecere; ſcias perito homini concedi, voces vel è græco fonte derivare, vel nova omnino vocabula cudere: ſic voces has [Cocolata, Tabaccus, Bombarda,] atque ſimiles jure ſuo Recentiores uſurparunt. Voces verò hujuſcemodi ſemel ab uſu admiſſas, nemini licet pro arbitrio immutare.

Jam verò Voces à probatis Auctoribus uſurpatæ, quas tutò recipias, eæ ſunt, quibus ætatis aureæ Scriptores utuntur, vel etiam argenteæ; illis enim plurimum eſt auctoritatis; his verò non parum. Cæteros non tam facilè imiteris. Quare operæ pretium faciam, ſi qui Auctores ad Auream ætatem pertineant, qui ad Argenteam, qui ad Æneam, qui demum ad Ferream, edocebo. Qua in re cùm inter Auctores non conſtet., Facciolatum ſequar, qui hac tempeſtate omnium manibus teritur.

*Ætas Aurea.*

*Ab anno ante Chriſtum* CCXXXIX. *ad annum à Chriſto nato* XIV.

LIvius Andronicus. C. Nævius. Statius Cæcilius. Q. Ennius. M. Pacuvius. L. Attius. C. Luci-

Lucilius. Sex: Turpilius. L. Afranius. L. Cornelius Siſenna. P. Nigidius Figulus. C. Decius Laberius. Verrius Flaccus. Hi tamen ætati aureæ præivere potiùs, quàm initium dedere, quorum fragmenta collegit Robertus Stephanus, horum Opera vetuſtate potiùs, quàm puritate linguæ commendantur.

Ad auream verò ætatem pertinent omnino. M. Acc'us Plautus. M. Terentius Afer. M. Porcius Cato. T. Lucretius Carus. C. Valerius Catullus. P. Syrus. C. Julius Cæſar. Cornelius Nepos. M. Tullius Cicero. Sex: Aurelius Propertius. C. Salluſtius Criſpus. M. Terentius Varro. Albius Tibullus. P. Virgilius Maro. T. Livius. M. Manilius. M. Vitruvius. P. Ovidius. Horatius Flaccus. Pedo Albinovanus. Gratius Faliſcus. T. Phædrus. C. Cornificius, cui tribuunt libros quatuor Rhetoricorum ad Herennium. Aulus Hirtius, vel Oppius, quorum alteruter Cæſaris commentarios ſupplevit. P. Cornelius Severus, ad quem referunt carmen de Ætna. & Jcti Q. Mutius Scævola. Alfenus Varus. M. Antiſtius Labeo. Manſurius Sabinus, quorum Fragmenta in Digeſtis. Scriptores quoque ii, quorum Epiſtolæ ad Ciceronem inter Ciceronianas leguntur.

Hos inter eminent Terentius, Catullus, Cæſar, Nepos, Cicero, Virgilius, Horatius, Ovidius, Livius, Salluſtius: ſed hic quidem verborum novator eſt, ut ait Gellius *L.* 1. *c.* 15., ideoque non omnibus ingeniis aptus. Ætas hæc aurea Auguſti Cæſaris obitu, anno Chriſti Domini XIV. interiit, & Argenteæ locum fecit.

*Ætas Argentea.*
*Ab anno Chriſti* XIV. *ad* CXVII.

CORnelius Celſus de re medica. Scribonius Largus. P. Vellejus Paterculus. L. Junius Columella. Pomponius Mela, A. Perſius Flaccus. Q. Aſconius Pedianus. M. Annæus Seneca. M. Annæus Lucanus. T. Petronius Arbiter. C. Plinius Secundus. C. Silius Italicus. C. Valerius Flaccus. C. Julius Solinus. D. Junius Juvenalis. P. Papirius Statius. M. Valerius Martialis. M. Fabius Quintilianus. Sex. Julius Frontinus de Stratagemmatis, Aquæductibus, & Coloniis; quod verò de re militari ſcripſit, ignobilius eſt. C. Cornelius Tacitus. C. Plinius Cæcilius Secundus. A. Gellius. L. Annæus Florus. C. Suetonius Tranquillus. Ætatis non prorſus certæ ſunt Q. Curtius Rufus. Val. Probus Grammat. Sulpitia. L. Feneſtellæ Annalium Fragmenta.

Supra cæteros eminent Celſus, Vellejus, Senecæ, Plinii, Suetonius, Juvenalis, Quintilianus, Florus, Curtius. Hæc ætas uſque ad Trajani mortem tenuit ad annum a Chriſto nato CXVII.

*Ætas Ænea.*
*Ab anno Chriſti* CXVII. *ad* CCCCX.

VAlerius Maximus, Juſtinus. Palladius Rutilius. Terentianus Maurus. Minucius Felix. Soſipater Chariſius. Hi ætatis non omnino certæ ſunt,

Digitized by Google

ſunt, & ab aliquibus Argenteæ adſcribuntur. Huc ſpectant JCti Licinius Proculus. Neratius Priſcus. P. Juvencius Celſus. Priſcus Jabolenus. Domitius Ulpianus. Herennius Modeſtinus. Salvius Julianus. J. Cajus Calliſtratus. Æmilius Papinianus. Julius Paulus. Sex. Pomponius. Venulejus Saturninus. Ælius Martianus. Ælius Gallus, & alii; horum fragmenta in Digeſtis leguntur. L. Apulejus. Q. Septimius Tertullianus. Serenus Sammonicus. Cenſorinus. Cæcilius Cyprianus. T. Julius Calpurnius Siculus. M. Aurelius Nemeſianus. Ælius Spartianus. Julius Capitolinus. Ælius Lampridius. Vulcatius Gallicanus. Trebellius Pollio. Flavius Vopiſcus. Cælius Aurelianus. Flavius Eutropius. Rhenninius Fannius. Arnobius Afer. L. Cælius Lactantius. Ælius Donatus. Commodianus. C. Vettus Juvencus. Julius Firmicus Maternus Siculus. S. Hilarius. Fab: Marius Victorinus. Sex: Rufus, ſeu Rufus Feſtus Hiſtoricus. Rufus Feſtus Avienus Poëta. Ammianus Marcellinus. Fl. Vegetius Renatus. Aurelius Theodorus Macrobius. Q. Aurelius Symmachus. Dec. Magnus Auſonius. Sex: Aurelius Victor. S. Ambroſius. Aur: Prudentius Clemens. Cl: Claudianus. Marcellus Empiricus. Proba Falconia. Theodorus Priſcianus, aliis Octavius Horatianus dictus.

Supra cæteros eminent Juſtinus, Palladius, Terentianus, Victor, Lactantius, Claudianus. Ætas iſta captâ a Gothis Româ anno Chriſti ccccx. eſſe deſiit: qua etſi multi excelluere Scriptores Latinitatis caſtitate commendabiles; tamen, quia

tunc

Digitized by Google

magna fuit innovandi licentia; vocabula tunc primùm cuſa non ſine labendi ſcrupulo uſurpaverim.

### *Auctores Ætatis Incertæ.*

Hìc collocandi videntur: tametſi aliquis eorum, ſi ratio ſcribendi habeatur, quocumque tandem tempore vixerit, in ſuperioribus ætatibus cum dignitate ſtare poſſit; aliquis verò etiam infra luteos detrudendus videatur.

Æmilius Macer. Meſſala Corvinus. Vibius Sequeſter. Jul: Exſuperantius. Jul: Obſequens. L. Ampelius. Apicius Cælius. Sex. Pompejus Feſtus. Chalcidius. Zeno. Probus Auctor Notarum. Fulgentius Planciades. Hygini Fabulæ, & Aſtronomicon. C. Cæſaris Germanici Aratea, quæ alii ad Auguſti, alii ad Domitiani ætatem referunt. P. Victor de Regionibus Urbis Romæ. P. Vegetius de re Veterinaria. Auctores Catalectorum, quæ Virgilio, & Ovidio tribui ſolent. Auctor Elegiarum, quæ Cor: Gallo tribuuntur. Auctor Orationis Salluſtii in Ciceronem, & Ciceronis in Salluſtium; item illius *Antequam Cicero iret in exilium*. Auctor Epiſtolæ ad Octavium, quæ Ciceroni tribuitur. Auctor Panegyrici in Piſonem, qui videtur aliis Statius, aliis Lucanus. Declamationes, quæ tribuuntur Quintiliano; item quæ Porcio Latroni; item quæ Calpurnio Flacco. Interpres Irenæi. Interpres Daretis Phrygii, & Dictyos Cretenſis. Catonis Diſticha Moralia. Scholiaſtæ veteres. Grammatici antiqui. Rhetores antiqui. Rei agrariæ Scriptores. Catalecta Petroniana, &

Erro-

Digitized by Google

Errores Venerei, qui cum Petronio edi ſolent. Pervigilium Veneris cum variis Opuſculis, qui inſcribuntur *Baudii Amores*. Poëmatia, & Epigrammata vetera a Pithæo, & Amelovenio collecta. Fragmenta Hiſtoricorum collecta ab Auguſtino, & Riccobono. Monumentum Ancyranum, & inſuper Monumenta varia antiqua, a Georgio Fabricio collecta. Faſti Conſulares. Inſcriptiones Veteres. Legum antiquarum Fragmenta. Notitia dignitatum utriuſque Imperii. &c.

## *Ætas Ferrea, & Lutea.*
## *Ab anno Chriſti* CCCCX. *ad initium ſæculi* XIV.

SÆculo V. Servius Honoratus. Rutilius Numatianus. S. Hieronymus. S. Auguſtinus. S. Damaſus. Rufinus. Sulpicius Severus. Paulus Oroſius. Cælius Sedulius. S. Paulinus Nolanus. Codex Theodoſianus. Dracontius. Salvianus. S. Petrus Cryſologus. S. Proſper Aquitanicus. S. Leo Magnus. Martianus Capella. Paulinus Petrocorius. Claudianus Mamertus. Sidonius Apollinaris. C. Plinius Valerianus. Latinus Pacatus. Claudius Mamertinus. Nazarius. Eumenius.

Sæculo VI. S. Fulgentius. Alcimus Avitus. Orientius. Ennodius. Manl. Severinus Boëthius. Priſcianus Grammaticus. Nonius Marcellus. Diomedes. Juſtiniani Inſtitutiones. Juſtiniani Codex. Arator. Jornandes. M. Aurelius Caſſiodorus. Creſconius Corippus. Venantius Fortunatus. S. Gregorius Magnus. S. Gregorius Turonenſis.

Sæ-

Sæculo VII. S. Iſidorus Hiſpalenſis. Eugenius Toletanus. Drepanius Florus. Marculphus. Anonymus Ravennas.

Sæculo VIII. Aldhelmus, ſeu Adelhelmus. Beda. Flaccus Alcuinus. Paulus Diaconus.

Sæculo IX. Rabanus Maurus. Freculphus. Eginhardus. Strabus Gallus. Aimonius. Theodulphus Aurelianenſis.

Sæculo X. Hincmarus. Odo Severus. Luitprandus. Flodoardus. Rhegino. Witichindus.

Sæculo XI. Haymo. Rodulphus. Hermannus. Lambertus. Medici Salernitani. Marbodaeus. Conſtantinus Africanus. S. Petrus Damiani. Marianus Scotus. Raimundus. Villeramus. Baldericus.

Sæculo XII. Guntherus. Sigebertus. Joannes Sariſburienſis. Otto Friſingenſis. Saxo Grammaticus. Hildebertus. Helmoldus. Gratianus. Hugo. Petrus Abaillardus. S. Bernardus. Petrus de Riga. Guillelmus Tyrius. Petrus Blecenſis. Joſephus Devonius.

Sæculo XIII. Phil. Gualterus. Conradus Abb. Urſp. Matthæus Pariſienſis. Vincentius Bellovacenſis. Martinus Polonus. Albertus Magnus. S. Thomas Aquinas. S. Bonaventura.

*Initio Sæculi* XIV.

Joannes Scotus. Alanus de Inſulis. Matthæus Vindocinenſis. Robertus Beſtonus. Gualterus Burlæus.

Re-

## *Reparatio Latinæ Linguæ poſt initium Sæculi* XIV.

Franciſcus Petrarcha. Joannes Boccaccius. Lombardus Sericus, ſeu de Serigo.

Sæculo XV. Poggius. Trapezuntius. Laurentius Valla. Bartholomæus Faccius. Flavius Blondus. Franciſcus Philelphus. Beſſario. Theodorus Gaza. Æneas Sylvius. Nicolaus Perottus. Rodolphus Agricola. Bartholomæus Platina. Franciſcus Barbarus. Hermolaus Barbarus. Marſilius Ficinus. Nicolaus Leonicenus. Pomponius Lætus. Jovianus Pontanus. Angelus Politianus. Hieronymus Valle. P. Paulus Vergerius. Ambroſius Camaldulenſis. Leonardus Aretinus. Guarinus Veronenſis. M. Antonius Sabellicus. Porcellius. Palmerius. Franciſcus Contarenus. Jo: Antonius Campanus. Joannes Tortellius. Benedictus Accoltius. Janotius Manettus. Leonardus Juſtinianus. Antonius Panormita. Baptiſta Albertus. Baptiſta Mantuanus. Jo: Andreas Laſcaris. Joannes Aurispa. Georgius Merula. &c.

Sæculo XVI. Jacobus Sanazarius. Ludovicus Vives. Cœlius Rhodiginus. Thomas Linacer. Petrus Alcionius. Petrus Bembus. Aonius Palearius. M. Antonius Flaminius. Joannes Cotta. Chriſtophorus Longolius. Janus Parrhaſius. Andreas Navagerius. Bartholomæus Riccius. Jacobus Sadoletus. Balthaſſar Caſtilionius. Sebaſtianus Corradus. Jo: Baptiſta Egnatius. Romulus Ama-

Amaſæus. Lazarus Bonamicus. Gabriel Faernus. Joannes Sturmius. Pierius Valerianus. Thomas Morus. Gulielmus Budæus. Melchior Canus. Bernardinus Scardeonius. Lilius Gyraldus. Hieronymus Fracaſtorius. Henricus Glareanus. Andreas Alciatus. J. Cæſar Scaliger. Gaſpar Contarenus. Nonius Pintianus. Reginaldus Polus. Paulus Jovius. Robertus Stephanus. Joannes de Caſa. Joannes Brodæus. Antonius Goveanus. Petrus Victorius. Hieronymus Vidas. Adrianus Turnebus. Franciſcus Robortellus. Dionyſius Lambinus. Paulus Manutius. Franciſcus Luiſinus. Jo: Baptiſta Pigna. Onuphrius Panvinus. Hubertus Folieta. Antonius Auguſtinus. Gulielmus Canterus. Petrus Ciacconius. Carolus Sigonius. M. Antonius Muretus. Fulvius Urſinus. Barnabas Briſſonius. Joſephus Scaliger. Henricus Stephanus. Lævinus Torrentius. Douſa pater, & filius. Joannes Paſſeratius. Ubertus Gifanius. Matthæus Raderus. Horatius Turſellinus. Petrus Perpinianus. Andreas Schottus. Joannes Petrus Maphejus. Cyprianus Soarius. Ven: Edmundus Campianus Martyr. Stephanus Tuccius Siculus. Nicolaus Orlandinus. Franciſcus Sacchinus. Bartolomæus Latomius. M. Antonius Majoragius. Marius Nizolius. &c.

## ARTICULUS II.

### *Elocutio Ornata.*

ORnatum Elocutioni comparant Tropi, atque Figuræ: primùm itaque de Tropis, deinde de Figuris agemus.

*De*

## *De Tropis.*

Tropus eſt [ Elocutio, qua propriam verbi ſignificationem in aliam cum virtute mutamus. ] Tropi verò alii Verborum ſunt, alii Sententiarum.

Tropi Verborum ſunt, qui in una dictione; Sententiarum verò, qui in integra ſententia conſiſtunt. Illi ſeptem enumerantur: [ Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Antonomaſia, Onomatopæja, Catachreſis, & Metalepſis: ] iſti verò tres: [ Allegoria, Hyperbole, & Ironia. ] Hos omnes explico ſingillatim.

## *Tropi Verborum.*

*Metaphora* ex græco Μεταφορὰ eſt, cùm Vox, quæ rem aliquam ſignificat, ad rem diverſam ſignificandam aſſumitur propter ſimilitudinem. Fit autem quadrupliciter: cùm ſcilicet rem transferimus I. *ab animato ad animatum*, ut Homo rugit. II. *ab inanimato ad inanimatum*, ut Flumen eloquentiæ. III. *ab animato ad inanimatum*, ut Caput amnis. IV. *ab inanimato ad animatum*, ut Homo ferreus.

In Metaphoræ uſu, cave I. ne ſit à rebus ſordidis, & humilibus poſita, ut illa, quam irridet *Horat. Sat.* V. *Lib.* II.

*Juppiter hibernas cana nive conſpuit Alpes.*
II. ne nimia interſit diſſimilitudo, ut illud Ennii: [Cœli ingentes fornices. ] III. ne nimiùm ſit poëtica, ut illa Horatii: [Per ſiculas equitavit undas.] tunc verò poterit Metaphora molliri his interpoſitis formulis: [Ut ita dicam. Si fas eſt dicere.] IV. ne ita nimis frequens ſit; ut obſcuritatem pariat,

vel

vel ſatietatem. Hoc vitio maximè laborant Oratores non pauci, & Poetæ, præſertim Itali Sæc. XVII., qui non modò Tironibus non ſunt legendi, ſed ne viſendi quidem.

*Synecdoche* ex gr: Συνεκδοχὴ eſt, cùm ſumitur I. *Pars pro toto*: ut Caput pro Homine. II. *Totum pro parte*: ut Flumen pro aqua. III. *Unus pro pluribus*: ut Miles pro exercitu. IV. *Plures pro uno*: ut Cæſares, Alexandri pro Cæſare, Alexandro V. *Genus pro ſpecie*: ut Monſtrum pro Leone. VI. *Species pro genere*: ut Pinus pro arbore. VII. *Materia pro re*, quæ ex ea fit: ut Ferrum pro enſe.

*Metonymia* ex gr: Μετωνυμία fit, cùm ponitur I. *Cauſa pro effectu*, vel *Auctor pro opere*: ut Sol pro die. Legi Ciceronem; ideſt ejus libros II. *Effectus pro cauſa*: ut Lux pro Sole: ſic etiam dicimus: Mors pallida, Cura vigil: quòd mors cauſa ſit palloris, cura vigiliæ. III. *Continens pro re contenta*: ut Vas pro vino: IV. *Res contenta pro continente*: ut *Vina coronat*; hoc eſt: coronat pocula vini. V. *Poſſeſſor pro re poſſeſſa*: ut Dominus pro domo ſua: ſic: *Proximus ardet Ucalegon*. VI. *Signum pro re ſignificata*: ut Palma pro victoria.

*Antonomaſia* ex gr: Ἀντονομασία eſt, cùm loco nominis proprii nomen aliud damus vel ab effectu, vel a patria, vel a munere, vel a majoribus, vel aliunde petitum: ſic *Romanæ eloquentiæ Princeps* eſt Cicero. *Cypria* eſt Venus, *a Cypro*, ubi colebatur. *Anchiſiades* eſt *Æneas* ab *Anchiſe* natus. Huc Patronymica omnia reducuntur.

*Onomatopæja* ex gr: Ὀνοματοποιία eſt fictio vocis,

quæ

quæ ſono ſuo rem exprimit, quam ſignificat: ſic *Mugitus* eſt vox Bovis, *Vlulatus* vox Lupi, *Hinnitus* vox Equi, &c. Novas Onomatopæjas nobis cudere non licet; ſed iis tantùm uti, quibus auctoritas locum fecit.

*Catachreſis* ex gr: Καταχρήσις eſt, cùm abutimur nomine rei alienjus ad aliam ſignificandam, quæ ab illa parum diſtet; ſic qui Matrem, Fratrem, vel Sororem interficit, *Parricida* vocatur.

*Metalepſis* ex gr: Μετάληψις eſt, cùm vox aliqua per gradationem quandam in rei alterius cognitionem nos ducit. Virg. Ecl. I. [Poſt aliquot ariſtas] dixit; ubi per ariſtas ſignificantur Anni: nam gradatim ab ariſtis ad ſegetes, a ſegetibus ad æſtates, ab æſtatibus ad annos proceditur.

*Tropi ſententiarum.*

*Allegoria* ex gr: Ἀλληγορία eſt Tropus, in quo aliud verbis, aliud ſenſu ſignificamus. Virg. Ecl. III. eo allegorico carmine:

*Claudite jam rivos pueri, ſat prata biberunt,*
ſignificat: [Parcite pueri a cantu; ſat enim ceciniſtis.] Sita eſt itaque in hoc Allegoria, quòd rem noſtram ita cum altera comparamus; ut verba rem illam alteram tantùm exprimant: etſi in ea rem noſtram intelligamus. Quòd ſi de re ſimili, quam aſſumimus, ita loquimur, ut nullum interſeratur verbum, quod rem principalem apertè explicet, erit Allegoria *Pura*: ſi verò aliquod verbum hujuſmodi interponitur, erit *Impura*.

Exemplum Allegoriæ puræ dat Horatius *L. I.* Ode XIV.

*O Navis, referent in mare te novi*
*Fluctus: O quid agis? Fortiter occupa*
*Portum.* &c.

Exemplum impuræ eſto *a Cicerone in Piſonem:* [ Neque tam fui timidus, ut qui in maximis turbinibus, ac fluctibus Reip. navem gubernaſſem, ſalvamq; in portu collocaſſem, frontis tuæ nubeculam, aut Collegæ tui contaminatum ſpiritum pertimeſcerem. Alios ego vidi ventos, alias proſpexi animo procellas, aliis impendentibus tempeſtatibus non ceſſi; ſed unum me pro omnium ſalute obtuli. ] Oratoribus autem uſitatior eſt impura, quàm pura Allegoria.

*Hyperbole*, ex gr: Ὑπερβολή, eſt, cùm rem ſupra fidem exaggeramus augendo, vel minuendo. Cic. *Phil.* 2. ſic carpit aviditatem Antonii: [ Oceanus, Medius Fidius, vix videtur tot res, tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam citò abſorbere potuiſſe. ]

*Ironia* ex gr: Εἰρωνία eſt, cùm rem omnino contrariam ſenſui verborum, quæ proferuntur, ſignificamus. Cic. *in Catil.* 2. [ O bellum magnopere pertimeſcendum! cùm hanc ſit habiturus Catilina ſcortatorum prætoriam cohortem. Inſtruite nunc contra has tam præclaras copias veſtra præſidia. ] Tropus iſte maximè ex pronunciatione dignoſcitur.

Huc revocari poteſt, juxta Farnabii ſententiam, Ἀντίφρασις *Antiphraſis*, quæ rem per contrarium ſignificat; ut cùm *Parcam* dicimus a non parcendo &c.

Ad

Ad hos etiam ſententiarum Tropos Periphraſim ſpectare cenſent nonnulli. Eſt autem Periphraſis, ex gr: περίφρασις, cùm pluribus exponimus id, quod paucioribus dici potuiſſet. Tropus iſte familiariſſimus eſt Poëtis; non infrequens Oratoribus: Cicero *in Catil:* dicturus [ Qui te hominem novum tam maturè &c. ] ait: [ Qui te hominem per te cognitum, nulla commendatione Majorum, tam maturè &c. ] Ad exaggerandum valet Periphraſis.

*Troporum Uſus:*

Non idem eſt horum Troporum apud Oratores uſus; Metaphoram frequenter adhibent, non infrequenter Allegoriam; aliquando Ironiam, Hyperbolen, Synecdochen, Metonymiam, & Antonomaſiam; reliquos verò Tropos aut numquam, aut ferè nunquam: cùm pro Poëtis veriùs excogitati fuerint.

*De Figuris.*

In hoc Figura diſtat a Tropo; quòd Tropus in translatione verbi conſiſtat a propria ſignificatione ad minùs propriam: Figura verò verba a propria ſignificatione non diſtrahit. Cæterùm Figura eſt: [ Sermonis uſus a communi loquendi conſuetudine remotus. ] Duplicis verò generis ſunt Figuræ, *Verborum*, & *Sententiarum*. Illæ in unico verbo; hæ verò in pluribus, ſive in integra ſententia ſitæ ſunt.

*Figuræ Verborum.*

Triplicis generis ſunt: per Additionem, per Detractionem, per Similitudinem.

*Figuræ verborum per Additionem.*

I. *Repetitio* græcè Ἀναφορὰ eſt, qua ſæpius oratio eadem voce inchoatur. Cic. *Phil.* 2. [ Accuſa Senatum, accuſa Equeſtrem ordinem, qui cum Senatu copulatus fuit, accuſa omnes ordines. ]

II. *Converſio*, græcè Ἀντιστροφή, eſt, qua ſæpius oratio eodem vocabulo terminatur. Cic. *in Vatin.* [ Quare, cùm ego legem de ambitu tulerim, ex Senatus conſulto tulerim, ſine vi tulerim, ſalvis auſpiciis tulerim, ſalva lege Elia, & Fuſia; tu eam eſſe legem non putes? ]

III. *Complexio*, græcè Συμπλοκή eſt, quæ Repetitionem ſimul, & Converſionem complectitur. Cic. [ Quem Senatus damnavit, quem Populus Rom. damnavit, quem omnium exiſtimatio damnavit, eum ſententiis veſtris abſolvetis? ]

IV. *Epanalepſis*, ex gr: Ἐπανάληψις, eſt, cùm vox eadem ſententiam inchoat, & abſolvit: Cic. *pro Marcello* [ Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam; gladium vaginâ in Urbe vacuum non vidimus. ]

V. *Conduplicatio*, græcè Ἀναδίπλωσις, eſt, cùm vox eadem & præcedentem ſententiam abſolvit, & inchoat ſubſequentem. Cic. [Nunc etiam audes in horum conſpectum venire, Proditor patriæ? Proditor, inquam, patriæ venire audes in horum conſpectum? ] vel cùm vox eadem in eadem ſententia repetitur vel ſtatim, vel interpoſitâ unâ; aut alterâ dictione. Cic. *pro Milone*. [ Excitate, excitate eum, ſi poteſtis, ab inferis. ] Et *in Catil.* [ Vivis, & vivis non ad deponendam, ſed ad con-

fir-

Digitized by Google

firmandam audaciam. ]

VI. *Traductio*, græcè Πλοκὴ, eſt vocis ejuſdem repetitio; mutato tamen caſu, vel genere, aut numero. Cic. *Verr.* 7. [Certus locus, certa lex, certum tribunal, quo loco inveniatur. ]

VII. *Disjunctio*, græcè Ἀλυτικὴ, eſt, cùm ſingulis ſententiis ſingula verba ſubjiciuntur; cùm ſatis fuerit unum omnibus. Cic. *pro Archia*: [ Ita vivo, ut a ſtudiis nullo me unquam tempore aut commodum, aut otium abſtraxerit, aut voluptas avocârit, aut ſomnus retardârit. ]

VIII. *Gradatio*, græcè Κλῖμαξ, ex Cicerone eſt, cùm gradatim furſum verſus reditur; ſeu eſt Figura, per quam non priùs ad conſequens verbum deſcendimus, quàm aliquod præcedens repetamus; & per illud, quaſi per gradum procedamus: ut Africano virtutem induſtria, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit. Ejuſmodi eſt etiam ille Virgilii locus Eclogâ II.

*Torva Leæna lupum ſequitur; lupus ipſe capellam.*

*Florentem cytbiſum ſequitur laſciva capella.*

IX. *Synonymia*, ex græco Συνωνυμία, eſt, cùm multæ voces ſynonymæ aggeruntur ad vim addendam orationi. Cic. *in Catil.* II. [Tandem aliquando Catilinam ex Urbe vel ejecimus, vel emiſimus: Abiit, exceſſit, erupit, evaſit. ]

X. *Polyſyntheton*, ex gr: Πολυσύνδετον, eſt oratio conjunctionibus abundans. Cic. *in Catil.* 2. [Teque, tuique ſimiles, tibique pares & aſpernor, & averſor, & execror. ]



*Fi-*

Digitized by Google

### *Figuræ Verborum per Detractionem.*

I. *Synecdoche*, ex gr. Συνεκδοχὴ, eſt Figura a tropo ejuſdem nominis diſtincta; fitque cùm vocem aliquam, quæ intelligi facilè poteſt, omittimus. Cic. *ad Brutum.* [ Sermo nullus, niſi de te. ] Supple: *factus eſt.*

II. *Adjunctio*, græce Προτόζευγμα, eſt, cùm idem verbum uno in loco collocatum, pluribus reſpondet ſententiis. Cic. *in Catil.* [ Neque enim is es, Catilina; ut te aut pudor unquam a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore avocârit. ]

III. *Diſſolutio*, græcè Διάλυτο, eſt, cùm demptis conjunctionibus plura efferuntur. Cic. *pro Archia.* [ Hæc ſtudia adoloſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur. ]

### *Figuræ verborum per Similitudinem.*

I. *Paronomaſia*, ex græco Παρονομασία, eſt, cùm voci vox altera ſubjicitur ſimilis ſoni, etſi diſſimilis ſignificationis; ſive id fiat per additionem litterarum, ſive per detractionem, aut per ordinis earundem inverſionem. Cic. *in Catil.* 1. [ Hìc, hìc ſunt in noſtro numero, in hoc orbis terræ ſanctiſſimo, graviſſimoque conſilio, qui de meo, noſtrumque omnium interitu, qui de hujus Urbis, atque adeo Orbis terrarum exitio cogitant. ]

II. *Similiter cadens*, græcè Ὁμοιόπτωτον, eſt, cùm nomina per eoſdem caſus, verba per eadem tem-

Digitized by Google

tempora efferuntur in periodo: Cic. *pro Roſc. Amer.* [Quid tam commune, quàm ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctantibus, litus cjectis? ]

III. *Similiter deſinens*, græcè Ὁμοιοτέλευτον, eſt, cùm in periodo membra eodem exitu terminantur. Cic. *pro Lege Man.* [Ut ejus ſemper voluntatibus non modò cives aſſenſerint, ſocii obtemperaverint, hoſtes obediverint, ſed etiam venti, tempeſtáteſque obſecundaverint.]

IV. *Compar*, græcè Ἰσόκωλον, eſt, cùm ejuſdem periodi membra ferè pari numero ſyllabarum conſtant. Cic. *pro Lege Man.* [Tantum bellum, tam diuturnum, tam longè, latèque diſperſum Cn. Pompejus extrema hyeme apparavit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit.]

V. *Hyperbaton*, ex græco Ὑπερβατον, eſt, elegans ordinis verborum perturbatio: ut [Qua de cauſa.] pro: *De qua cauſa.* [Mecum] pro: *Cum me.*

## *Figuræ Sententiarum.*

Figura Sententiarum, quæ vim, atque ornatum orationi parat quàm maximè, eſt [Oratio a communi dicendi ratione remota; quæ integrâ ſententiâ, atque in rebus ipſis venuſtatem habet.] De his Figuris, quas alphabetico ordine digeſtas propono, quid ſingulæ earum ſint, quemve uſum habeant, edocebo.

I. *Antitheſis*, ex gr: Ἀντίθεσις, eſt, qua verba verbis, ſententiæ ſententiis opponuntur. Cic. *Verr.* 6. [Conferte hanc pacem cum illo bello, hujus Prætoris adventum cum illius Imperatoris

 (Mar-

(*Marcelli*) victoria, hujus cohortem impuram cum illius exercitu invicto, hujus libidines cum illius continentia: ab illo, qui cepit, conditas; ab hoc, qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas. ] Sic etiam P.Segn: Conc: VIII. ex Quadr: n.II. *E come volete voi, che gli Empj non vi odino, mentre le azioni voſtre pare che ſieno un perpetuo rimprovero delle loro? Voi confondete con la voſtra pietà la loro irriverenza, con la voſtra carità la loro ruvidezza, con la voſtra verecondia la loro diſſoluzione, con la voſtra temperanza la loro voracità: adunque forza è, che odino voi, ſe amano ſe medeſimi*. Delectat plurimùm hæc ſigura; rem etiam explicat, & docet.

II. *Apoſtrophe*, ex gr: Ἀποστροφή, eſt, cùm orationem vel ad Deum, vel ad homines, vel ad res etiam inanimes convertimus. Ad Deos convertit Cic. *Catilinariâ* 1. [ Tu, Juppiter, qui iiſdem, quibus hæc urbs, auſpiciis a Romulo es conſtitutus, quem Statorem hujus urbis, atq; imperii verè nominamus, hunc, & hujus ſocios a tuis aris, cæteriſque templis, & tectis urbis, ac mœnibus, a vita, fortuniſque civium omnium arcebis.] Convertit ad homines frequentiſſimè; ut *Verr*. 6. [Te nunc, Scipio, te inquam lectiſſimum, ornatiſſimumque adoleſcentem appello: abs te officium tuum debitum generi, & nomini requiro, & flagito. Cur pro iſto, qui laudem, honoremque familiæ veſtræ depeculatus eſt, pugnas? cur defenſum eſſe vis? ] Convertit demum ad res inanimes *pro Balbo*. [O nationes, urbes, populi, Reges, Te-

trar-

trarchæ, Tyranni, teſtes Cn. Pompeji non ſolùm virtutis in bello, ſed etiam religionis in pace, vos denique mutæ regiones imploro, & ſola terrarum ultimarum, vos maria, portus, inſulæ, litoraque; quæ eſt enim ora, quæ ſedes, qui locus, in quo non extent hujus cùm fortitudinis, tum verò humanitatis, tum animi, tum conſilii impreſſa veſtigia? ] Segn: ad Angelos, atque ad res inanimes ita convertit ſermonem Conc. V. ex Quadr. in Exor: *Su date fiato alle voſtre trombe, o voi Angeli deſtinati per banditori del giorno orrendo, e dimoſtrate a' protervi, s'io dica il vero. Oſcuratevi o Cieli, e lor negate ſpaventoſi ogni luce, fuorchè di folgori: piovete o fiamme, e loro incenerite voraci le poſſeſſioni: apriti o terra, e loro ingoja famelica gli edifizj: ſcorrete o fiere, e uſcendo incontro a que' miſeri, che sbigottiti dalle Città, ſene corrono alle caverne, per quivi aſconderſi, sbranate, lacerate, uccidete: non fia, chi vantiſi di campar fortunato dal voſtro ſdegno.* Figura hæc valde gravis, ac vehemens ad movendos animos, ad inceſſendum adverſarium, ad commiſerationem provocandam, ad cohortationem, laudem, & vituperationem valet.

III. *Communicatio*, græcè Ἀνακοίνωσις, eſt, qua Orator cauſæ ſuæ fidens, Auditores, vel Judices, vel etiam Adverſarios ipſos conſulit; ut quid ſibi agendum ſit, docere velint. Cic. *Verr.* 2. [ Nunc ego vos conſulo, quid mihi faciendum putetis: id enim conſilii profectò taciti dabitis, quod egomet mihi neceſſariò capiendum intelligo. ] *Et*

*pro*

*pro Rabir.* [Tu denique, Labiene, quid faceres tali in re, ac tempore? cùm ignaviæ ratio te in fugam, atque in latebras impelleret; improbitas, & furor Saturnini in Capitolium arceſſeret; Conſules ad patriæ ſalutem, & libertatem vocarent. Quam tandem auctoritatem, quam vocem, cujus ſectam ſequi, cujus imperio parere, potiſſimùm velles?] Segn: Conc: XVII. ex Quadr: n. V. *Ditemi un poco per vita voſtra, Uditori. Che abborrimento non concepireſte voi verſo d'uno, il quale, quando voi gli porgete un regalo, vi laſciaſſe uno ſchiaffo? o quando voi la ſottraete da morte, vi tiraſſe una ſtilettata? Ma non ſol ciò. Se queſta medeſima villania voi vedeſte uſare, non dico con eſſo voi, ma verſo di qualunque altro, ancorchè voſtro non congiunto, non compatriota, non conoſcente, non ſentireſte avvamparvi ſubito il petto d' indegnazione? Non chiamereſte ſopra quel capo ingrato tutte le ſaette del Cielo, tutte le furie d' Inferno?* Figura hæc tum ad confirmandum, tum etiam ad confutandum valet.

IV. *Conceſſio* eſt, qua iniquum aliquid ultro adverſario concedimus, cauſæ bonitate freti. Cic. *pro Amer.* [Verùm quid agatur non vides? Agitur de parricidio, quod ſine multis cauſis ſuſcipi non poteſt. Eſto: cauſam proferre non potes: tametſi ſtatim viciſſe debeo; tamen de meo jure decedam: & tibi, quod in alia cauſa non concederem, in hac concedam, fretus hujus innocentiâ. Non quæro abs te, quare patrem Roſcius occiderit: quæro quomodo occiderit?] Segnerus

Conc:

Conc: II. ex Quadr: n. V. *Ma ſu, fingiamo, che abbiate dato in amici di lor natura più liberali, più pii, e tali in ſomma, che ſieu diſpoſti umanamente a ſoccorrervi nelle voſtre neceſſità: quando ſarà con tutto ciò, che coſtoro vi facciano un benefizio di alcun rilievo, ſenza volervelo oſtentare con pompa, ſpacciar con faſto, e vendere anche non di rado aſſai più di ciò ch' egli vale?* Et Conc: XIX. ex Quadr. num. VIII. *Ma io (guardate quanto voglio ſempre eſſere liberale con eſſo voi) voglio concedervi, che in voi non debba una tal minaccia eſeguirſi con tanta ſeverità; ma che vi ſia conceduto innanzi al morire qualche comodo ſpazio di ravvedervi, di riconoſcervi, di chiedere perdonanza del mal commeſſo; con qual' ardir, con qual' animo, con qual fronte potrete a Criſto ricorrere in ſu gli eſtremi per ottenerla?* Ad confirmandum, & ad refutandum æquè valet hæc Figura.

V. *Correctio* eſt, qua prolatam ſententiam retractamus, & in meliorem commutamus. Cic. *Philip.* 3. [C. Cæſar adoleſcens, pæne potiùs puer, incredibili, ac divina quadam mente, atque virtute fortiſſimum exercitum invicto genere veteranorum militum comparavit, patrimoniumque ſuum effudit: quanquam non ſumus uſi eo verbo, quod decuit: non enim effudit; ſed in ſalutem Reip. collocavit.] Segner. Conc: I. ex Quadr: in Exor: *Benchè, preſunzione diſs' io? Audacia, audacia, così dovea nominarla, ſe non anzi inſenſata temerità, che per tale appunto io prometto di dimoſtrarvela.* rurſus Conc: XVII. ex Quadr: n. II.

[Se

[ *Se ben, che dico? Nè pur que' moſtri credo, che vorrebbono udire sì amori rimproveri, e con le teſtimonianze d'innumerabili Iſtorie mi provverebbono, come anch' eſſi anno abborrita una ſimile ingratitudine, e che amano i loro benefattori, non gli maltrattano.* ] Correctio ad exaggerandum inſervit.

VI. *Deprecatio*, ſive *Obſecratio*, græcè Δήσις, eſt, cùm nobis alicujus opem vehementer imploramus. Cic. *pro Mil.* [Quid reſtat? niſi ut orem, obteſterque vos, ut eam miſericordiam tribuatis fortiſſimo viro, quam ipſe non implorat, ego autem, repugnante hoc, & imploro, & expoſco. Nolite, ſi in noſtro omnium fletu nullam lacrymam aſpexiſtis Milonis, ſi vultum ſemper eundem, ſi vocem, ſi orationem ſtabilem, ac non mutatam videtis, hòc minùs ei parcere] Segnerus. Conc. XXXVIII. ex Quadr: n. IX. [ *Però a voi tocca, amantiſſimo Redentore, di ſtendere ſu i lor colli le voſtre braccia, e qual amoroſo Padre pietoſamente accogliere i figliuoli ravviſti, ſtrignerli al voſtro ſeno, accoſtarli alla voſtra faccia, ammetterli al voſtro bacio. Che ſe ciò vi par troppo, deh non negate almeno loro la voſtra benedizione: &c.* ] Et Conc: I. ex Quadrag: num. X. *Per le viſcere di Gesù, non vi vogliate più lungamente ingannare da voi medeſimi*: Nolite decipere animas veſtras: *riſcotetevi, ravvedetevi: e cominciando da queſt' ora ſteſſa a rientrare dentro il cuor voſtro, conſiderate un poco, qual frutto voi ritraete dal voſtro ſtato. E s'è maggior l'emolumento che'l riſchio,*

ab-

*abbiate pure per nulla quanto io vi ho detto. Ma s'egli è ſenza paragone inferiore, pietà, vi priego, pietà dell'anime voſtre.* Vehemens hæc figura in perorationibus adhiberi ſolet: cùm plurimùm valeat ad movendum.

*Dialogiſmus*, ex gr: Διαλογισμὸς, eſt inducta duorum collocutio. Cic. *pro Sylla*. [Neque verò, quid mihi iraſcare, intelligere poſſum: ſi, quòd eum defendo, quem tu accuſas: cur tibi quoque ipſe non ſuccenſeo, qui accuſas eum, quem ipſe defendo? Inimicum, inquis, accuſo meum. Et amicum ego defendo meum. Non debes tamen quemquam in conjurationis quæſtione defendere: immo nemo magis eum, de quo nihil eſt ſuſpicatus, quàm is, qui de aliis multa cogitavit. Cur dixiſti teſtimonium in alios? Quia coactus. Cur damnati ſunt? Quia creditum eſt. Regnum eſt dicere in quem velis, ac defendere quem velis: immo ſervitus eſt non dicere in quem velis, ac defendere quem velis.] Segn: Conc: V. ex Quadr: n. IX. *Orsù, ditemi ora un poco alla buona, Signori miei, non vi pare una bella ſavola quella, che abbiam raccontata queſta mattina? O Padre, e che inaſpettata interrogazione è coteſta, che voi ci fate! Parlate voi da ſcherzo, o da ſenno? S'io parlo da ſenno? Così voleſte voi dirmelo. Non vi vergognate nò: confeſſatela ſchiettamente, non è ſtata una bella ſavola queſta dianzi? dite ſu, non è ſtata una bella ſavola? Favola? ma voi ci volete far incollorir daddovero. Come ſavola? Come ſavola? Noi la teniamo per iſtoria evangelica, per verità eter-*

*na;*

*na; e ſe voi ci aveſte aggiunta (che non ſappiamo) qualche tintura del voſtro, tal ſia di voi. Certo è che noi non teniamo per favola doverci eſſere il Giudizio univerſale del Mondo, lo crediamo per fede. Si eh? oh quanto felice nuova ſarebbe queſta, ſe foſſe vera! Perchè, a dirla ſinceramente, io credeva, che ſe non tutti, almeno molti di voi, lo teneſte per favola, come lo tiene la maggior parte degli uomini. Ma non de' Criſtiani. De' Criſtiani, dich'io; Ma non de' Cattolici. De' Cattolici, dico, Signori sì, &c.* Ad delectandum, & docendum juvat hæc figura.

VII. *Dubitatio*, græcè Διαπόρησις, eſt, cùm Orator ſoliciti hominis ſpeciem præſefert, hærentis, atque dubitantis, quid ſibi agendum, dicendumve ſit. Cic. *pro Quinct.* [Quo te nomine appellem? Improbum? At etiamſi deſertum vadimonium eſſet, in iſta poſtulatione, & proſcriptione bonorum improbiſſimus reperiebare. Num malitioſum? Negas. Fraudolentum? Jam id quidem arrogas tibi, & præclarum putas. Perſidioſum? vulgaria, & obſoleta ſunt. Res autem nova, & inaudita, &c.] Segn: in Paneg: S. Ignatii in Exor: *Che dovrò far io dunque dall'altro lato? Tacere con vil temenza i più de' ſuoi meriti, o ſtenuarli con affettata umiltà? Sì: ma che ſarebbe altro queſto, ſe non un farſi traditore del vero, e un divenirne occultatore ingiurioſo per non ſembrarne millantatore ſuperbo? Vedete dunque, quali ſieno le anguſtie, a cui ſon ridotto, mentre convienmi o di apparir menzognere, s'io non voglio eſſere; o vvero di eſſere, s'io non voglio apparire. E vi confeſſo, che mi ſa-*

*ſarebbe difficile diſtrigarmi d'anguſtie tali, s'io non mi ſcorgeſſi dinanzi agli occhi un teatro, che mi dilegua ogni dubbio, mi ſgombra d'ogni anſietà, e mi accreſce anzi l'animo di parlare, non me lo ſcema.* Figura hæc ad rem exaggerandam, ad exagitandum adverſarium, ad delectandum etiam, & ad conciliandam ſibi attentionem valet.

VIII. *Epiphonema*, ex gr: Ἐπιφώνημα, eſt, cùm rei probatæ jam, vel narratæ ſententiam aliquam gravem ſubjicimus. Cic. *pro Sextio* poſtquam docuerit oportere legibus, & judiciis vitam tueri: quòd ſi hoc fieri nequeat, vim vi eſſe propulſandam; ſubdit: [Hoc ſentire, prudentiæ; facere, fortitudinis; & ſentire verò, & facere, perfectæ, cumulatæque virtutis. Segn: Conc. II. ex Quadr: num. VI. *Ma queſto in ſomma fu l'uſo antico degli amici mortali: voltarſi a chi loro offeriva miglior partito.* Et ita Conc. XXX. n. V. *Tanto niuna eccelſa Maeſtà da verun eſtremo ludibrio fu mai ſicura.* Ad docendum valet Epiphonema.

IX. *Ethopœja*, ex gr: Ἠθοποιΐα, eſt, qua Perſonam deſcribimus, vel ex moribus, vel ex vultu, habituque corporis totius. Segn: Conc: XXXVII. ex Quadr. n. II. *E già avevano allegramente cambiata la modeſtia in diſſoluzione, la pietà in giuochi, la Religione in Idolatria, quando ecco ſopraggiunge ad un tratto Mosè, il quale a quello indegno ſpettacolo divampando di un'implacabile zelo, ſpezza incontanente le tavole della Legge, ſgrida Aronne, ſtritola il Simolacro, e aſſoldata tutta la Tribù di Levi, ne ſcorre a guiſa di un folgore pe'*

*quar-*

Digitized by Google

*quartieri della moltitudine attonita, e diſarmata; e ſpargendo per tutto ferite, per tutto ſangue, per tutto ſtrage, uccide alla rinfuſa in brev'ora preſſo a ventitre mila perſone, con un macello tanto più orribile, quanto più impetuoſo*. Figura hæc plurimùm ad movendum valet. Ejus exempla habes *Inſtit*. III. *Cap*. III. *Art*. II, ubi de Deſcriptione dictum eſt.

X. *Exclamatio* eſt figura in quadam orationis elatione, atque contentione ſita, quæ interjectione quadam expreſſa, vehementiorem animi motum indicat. Cic. *pro Sylla*. [O miſerum, & infelicem diem illum, quo Conſul P. Sylla renunciatus eſt! O fallacem, o volucrem fortunam! O cæcam cupiditatem! O præpoſteram gratulationem! Quàm citò illa omnia ex lætitia, & voluptate ad luctum, atque lacrymam redierunt!] Segn: Conc: X. ex Quadr. n. XIII. *Oh cecità, oh ſtolidezza! oh pazzia! oh Paradiſo ſconoſciuto, oh Paradiſo negletto, oh Paradiſo conculcato dagli uomini! Ed è poſſibile, che tanti giornalmente ſi trovino, i quali* Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.] Frequenter Exclamationem excipit Interrogatio. Cic. *Phil*. 2. [O audaciam immanem! tu ingredi illam domum auſus es? tu illud ſanctiſſimum limen intrare? &c. ] Segn: Conc: VII. ex Quadr: n. IV. *Ah Criſtiani! ed è poſſibile laſciar' uſcirſi di bocca sì grã follie? oh detti deteſtabili! oh ſenſi enormi! oh riſpoſte inſoffribili in uom fedele!* Exaggerationi, & affectuum commotioni inſervit figura hæc.

Ex-

XI. *Expolitio* Gallis familiariſſima, Latinis, atque Italis non infrequens, fit, cùm diverſis modis eandem ſententiam explicamus, ut altiùs in Auditorum mentibus inhæreat, Cic. *pro Mil.* [ Eſt enim hæc, Judices, non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus: verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus; ut ſi vita noſtra in aliquas inſidias, in vim, in tela aut latronum, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis.] Segnerus Conc. VII. n. VI. [ *Vi ſiete fiſſi mai di propoſito a penetrare che voglia dire eſſer beato in eterno, o eſſer tormentato in eterno? che voglia dire un' eternità di contento, o un' eternità di rancore? che voglia dire un Paradiſo, ove eternamente ſi giubila, o un' Inferno, ove eternamente ſi freme? Che dite Criſtiani, che dite? Vi ſiete immerſi di propoſito in tal penſiero?* ] Ad excitandos animi motus valet hæc figura.

XII. *Hypotypoſis*, ex gr: Ὑποτύπωσις, eſt rerum geſtarum tam viva expreſſio, ut eæ non tam audiri, vel legi, quàm verſari ante oculos videantur. Cic. *Verr.* 7. [ Hæc poſteaquam acta, & conſtituta ſunt, procedit repente è prætorio inflãmatus ſcelere, furore, crudelitate: in forum venit: navarcos vocari jubet: qui nihil metuerent, nihil ſuſpicarentur, ſtatim accurrunt: ille hominibus miſeris, innocentibuſque injici catenas imperat: implorare illi fidem Populi Rom., & quare id faceret, rogare: tum iſte, hoc cauſæ, dicit, quòd claſſem prædoni-

bus prodidiſſent: ſit clamor, & admiratio populi, tantam eſſe in homine impudentiam, &c.] Segn: Conc: XXXVIII. ex Quadr: n. V. *Il campo della battaglia era l'aria, la quale per rendere la battaglia ancor più ferale, aveva, ad onta del Sol preſente, recata una folta notte; ſe non che di tratto in tratto veggendoſi comparire alcune, come fiaccole acceſe, o fanali ardenti, folgorava pur qualche luce: ma luce sì ſpaventoſa, che rendea toſto deſiderabili l'ombre, e cara la notte. Riſpondeano d'ogni lato frattanto, con formidabile concerto, al muggir de' tuoni lo ſtrepitar delle trombe, ed allo ſtrepitar delle trombe il muggir de' tuoni. Non potevi ſapere, ſe foſſero queſti ſegni, che incitaſſero alla battaglia, o ſonaſſero a ritirata.* Ad movendum, & ad docendum inſervit Hypotypoſis.

XVI. *Imprecatio*, ſive *Execratio* eſt, cùm malum alicui imprecamur. Cic. *Phil.* 6. [Populi Rom: igitur eſt Patronus L. Antonius? Malam quidem illi peſtem! clamori enim veſtro aſſentior.] & *Philip.* 13. [Quin tu abi in malam peſtem, malumque cruciatum. Ad te quiſquam veniat, niſi Ventidii ſimilis?] Ad movẽdum valet hæc figura; oratori tamen chriſtiano raro admodum, nec ſine gravi aliqua cauſa uſurpanda. Vide, quàm appoſitè utatur Segnerus Conc: III. ex Quad. n. XI. *Criſtiani, c'è veruno, il quale ricuſi di ſottoſcriverſi? c'è veruno? Se v'è, ſi dichiari: che allor io divenuto tutto di fuoco, con queſto ſangue medeſimo, ſcriverò per lui la ſentenza di eterna condannazione. Pera il miſerabile, pera, chi niega a Criſto una domanda sì giuſta, e que-*

*queſto ſangue, che lo doveva ſalvare, queſto il condanni. Non trovi pietà, non impetri miſericordia. Cada egli, prevalgano i ſuoi nimici, rimanga vedova la ſua ſpoſa, ſieno orfani i ſuoi figliuoli, e i ſuoi nepoti vadan tutti raminghi dalle loro terre, ſenza travare, ne tetto, che gli accolga, nè veſte, che gli ricuopra. Si eſtermini la ſua caſa, ſi diſſipi la ſua roba, ſi diſperda il ſuo nome.... Sia giudicato ſenza miſericordia, chi non fece miſericordia. Torno a ripeterlo. Sia giudicato ſenza miſericordia, chi non fece miſericordia. Vendetta gridino tutte le Creature contro di eſſo, gridino vendetta gli Angeli, vendetta i Santi, vendetta le Sante, vendetta i Demonj, tutti vendetta:* Cum judicatur, exeat condemnatus. *Ma tolga Dio dal mezzo noſtro perſona sì ſcellerata. Se v'ha chi voglia negar a Criſto la grazia, che ci addimanda, ſi apparti pure, ſi ſcoſti da queſto luogo. Noi, che quì rimanghiamo tutti umiliatici a' piedi del Crociſiſſo, perdono chiederemo a' nemici, perdono a noi, perdono a tutti i peccatori, perdono.*

XIV. *Incrementum* eſt, cùm Oratio eundo creſcit, majus ſemper aliquid ſuperaddens. De ea dictum eſt ſatis *Inſtit. IV. Cap. II, Art. III.* ubi amplificationis rerum ſeptimum modum docui. Inſervit hæc figura ad exaggerandum, & ad concitandos affectus.

XV. *Interpretatio* eſt, qua dictum, aut factum adverſarii juxta ſententiam, & mentem noſtram interpretamur. Cic. *pro Milon.* [Clodius cùm ſtatuiſſet omni ſcelere in prætura vexare Remp., vi-

deretque ita tracta eſſe comitia anno ſuperiore, ut non multos menſes præturam gerere poſſet; qui non honoris gradum ſpectaret, ut cæteri; ſed L. Paulum collegam effugere vellet, ſingulari virtute civem, & annum integrum ad dilacerandam Remp. quæreret; ſubitò reliquit annum ſuum, ſeque in proximum tranſtulit, non religione aliqua, ſed ut haberet, quod ipſe dicebat, ad præturam gerendam, hoc eſt ad evertendam Remp., plenum annum, atque integrum.] Segn: Conc: XI. ex Quadr: n. VII. *Eh parlate chiaro una volta, parlate chiaro, e ſpiegate ciò che intendete con queſto voſtro, innanzi morte io mi pentirò. Queſto è un beffarſi in buon linguaggio di Dio, e un dirgli: Signore, Allora io prometto di reſtar d'oltraggiarvi, quand' io non avrò più talento, o più tempo a ciò. Vi conſacrerò le mie voglie, ma ſol quand' io non me le potrò più sfogare. Mi dorrò delle voſtre offeſe, ma ſol quand' io non potrò più moltiplicarle. A forza, a forza, io finalmente mi condurrò a confeſſare di aver errato in pigliarmela contra voi, col laccio al collo, con la cavezza alla gola. Finchè ſia libero, ogni altra coſa io farò, riſolutiſſimo di non mai laſciare i peccati, inſino a tanto, che queſti non laſcino me. Ecco ciò che ſignifica queſta voſtra maledetta intenzione di ravvedervi vicino a morte.* Utimur hac Figura in confutationibus tum, cùm exaggeramus, aut amplificamus.

XVII. *Interrogatio* eſt, cùm interrogamus aliquem non ad rem quærendam, quam ignoremus, ſed ad urgendum, inſtandumque. Cic. *Verr.* 7.

[Quid

[ Quid eſt, Verres? Quid ad hæc cogitas reſpondere? Num mentiri me, num fingere, aliquid horum dicere iſtis defenſoribus tuis audes? ] Figura hæc ſi ita uſurpetur, ut conciſa oratione adverſarium graviter urgeamus, neque illi tempus ad reſpirandum concedere videamur, *Vexatio* dicitur, magnamque vim habet ad animos commovendos. Cic. *pro Roſc.* [ Prædia mea tu poſſides; ego alienâ miſericordiâ vivo: concedo; & quòd animus æquus eſt, & quia neceſſe eſt. Mea domus tibi patet; mihi clauſa eſt: fero. Familiâ meâ maximâ uteris; ego ſervum habeo nullum: patior, & ferendum puto. Quid vis amplius? quid inſequeris? quid oppugnas? qua in re tuam voluntatem lædi a me putas? ubi tuis commodis officio? quid tibi obſto? &c. ] Segnerus frequens eſt in hac figura, unum & alterum ſeligo exemplum è ſexcentis, quæ poſſent afferri ex Conc: II. num. XI. *Se ſolo Iddio ſi può chiamar con ragione l'amico vero, e tutti gli altri o poco, o molto patiſcon d'infedeltà; come dunque è poſſibile che ſi trovi, chi per compiacere a un amico diſguſti Dio? Voi non riſpondete niente Uditori? Parlate pure, parlate: non ho ſaputo fors'io ſpiegarmi abbaſtanza? Replicherò. Come, dico, è poſſibile che ſi trovi, chi per compiacere a un amico, chi per accettarne gl' inviti, chi per aderirne a' conſigli, chi per luſingarne i capricci, diſguſti Dio, lo diſonori, l'offenda, e ſia leale a quell'amico, il quale uſa ogni slealtà, ed a quel, che uſa ogni lealtà, ſia ſleale?* Et Conc: XIV. ex Quadr: n. X. *Che dici, o donna sì delicata in-*

*accarezzar le tue carni?* Poteris habitare cum ardoribus ſempiternis? *Tu non puoi ora ſofferire una punta d'ago, il qual t'inſanguini leggiermente la pelle nel manegiarlo. Che ti par dunque? Potrai tu reſiſtere a quelle orrende mannaje, dalle quali dovrai ſentirti ſmembrare, diſoſſare, tritare con eterna carnificina? Che dici o Vomo sì diligente in procacciarti i tuoi comodi?* poteris habitare cum ardoribus ſempiternis? *Tu non puoi ora patire il puzzo di un povero, il qual ti offenda leggiermente le nari in avvicinartiſi. Che ti par dunque? Potrai tu reggere a quelle fetide fogne, dalle quali dovrai ſentirti appeſtare, ſoffogare, aggravare di eterna ambaſcia?* Ad plures uſus Interrogationem adhibemus: ad urgendum, ad exaggerandum, ad confirmandum, ad concitandos in plures affectus animos.

XVIII. *Licentia*, græc. παῤῥησία, eſt, cùm Orator res graves, atque periculoſas confidenti animo, & magna cum libertate dicit. Cic. *pro Ligar.* [ Vide quàm non reformidem: vide quanta lux libertatis, & ſapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur. Quantùm potero, voce contendam, ut hoc Populus Rom. exaudiat. Suſcepto bello, Cæſar, geſto etiam magna ex parte, nulla vi coactus, judicio meo, ac voluntate ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſuſcepta contra te. ] Et Phil: 9. [ Vos enim P. C. ( grave dictu eſt, ſed tamen dicendum ) vos, inquam, Ser: Sulpitium vitâ privaſtis: &c.] Segnerus Conc: XXXII. ex Quadr: n. X. *Vedete quanto poco io già tema del voſtro ſdegno,* che

*che con quanta voce ho, confeſſo, ed eſclamo alla preſenza di queſto Popolo tutto, che anch'io temerario non dubitai più d'una volta di prenderla contra voi, anch'io d'irritarvi, anch'io d'ingiuriarvi, anch'io di mettermi ſotto i piè l'onor voſtro:* Peccavi, impiè egi, iniquè geſſi in omnibus juſtitiis tuis; *e nondimeno non ſolo mi ſoffriſte con gran pietà, ma mi deſte anche grazia di ravvedermi, mi ammetteſte fra' voſtri Servi, mi aſcriveſte fra' voſtri Sacerdoti, mi annoveraſte fra' voſtri Predicatori.* Et Conc: XVII. in Exordio: *Perdonatemi, Signori miei, ſe lo dico. Oggidì ſiam giunti a tal ſegno, che i più favoriti da Criſto ſogliono eſſere i ſuoi maggiori nemici. Parliamo chiaro. I più privilegiati per dignità, i più famoſi per aura, i più comodi per ricchezze, i più nobili per natali, queſti ſono quei, che non di rado l'offendono con maggiore animoſità.* Uſus Licentiæ eſt ad fiduciam oſtentandam, ad commovendos animos, ad inſultandum etiam adverſario.

XIX. *Occupatio*, ſive *Prolepſis*, ex gr: πρόληψις, eſt, qua id, quod ab adverſario objici poteſt, prævertimus, & reſolvimus. Cic. *Verr.* 7. [Quid again, Judices? Quò accuſationis meæ rationem conferam? Quò me vertam? ad omnes enim meos impetus quaſi murus quidam boni nomen Imperatoris opponitur. Novi totum: video ubi ſe jacturus ſit Hortenſius: Belli pericula, tempora Reip., Imperatorum penuriam commemorabit: tum deprecabitur a vobis, tum etiam pro ſuo jure contendet; ne patiamini talem Imperatorem Po-


Digitized by Google

pulo Rom. Siculorum teſtimoniis eripi: ne obteri laudem Imperatoris criminibus avaritiæ velitis. Non poſſum diſſimulare, Judices: timeo, ne C. Verres, propter hanc virtutem eximiam in re militari, omnia, quæ fecit, impunè fecerit. &c.] Segn: Conc: XXXVIII. ex Quadr: n. II. *E qual'è la vita divota? mi dite voi. Parlar poco, pianger molto, eſſer motteggiato or da queſto, ed ora da quello: tollerare inopia nel vivere, infermità nell' oſſa, inſulti nell'onore, aggravj negl'intereſſi: e può tal vita non eſſer infeliciſſima? Sì! Gagliardiſſima oppoſitione mi parate in vero dinanzi ſul bel principio del mio diſcorſo, quaſi inſuperabile ſcoglio, che mi atterriſca all'uſcir di porto. Ma guardate quanto poco io la prezzi, ch'anzi vi dico, che le perſone di ſpirito, non ſolamente ſon uſe ſpeſſo patire di queſti mali, da voi pur ora aggranditi aſſai più del giuſto; ma che ancor le vogliano ſpontaneamente patire*: Figura hæc in refutationibus maximè locum habet.

XX. *Oppoſitio* eſt, quia dictum, vel factum adverſarii refellimus, objectis illuſtrium virorum exemplis, quibus res noſtra confirmetur. Figuram hanc mira arte tractat Cic. *in Piſonem* dictitantem, triumphi cupidum hominem eſſe non oportere: [ Non eſt integrum Cn. Pompejo, conſilio jam uti tuo: erravit enim: non guſtarat iſtam tuam philoſophiam: ter jam homo ſtultus triumphavit. Craſſe, pudet me tui: quid eſt, quòd confecto formidoloſiſſimo bello, coronam illam lauream tibi tantoperè decerni volueris a Senatu? P. Servili,

vili, Q. Metelle, C. Curio, P. Africane, cur non hunc audiſtis tam doctum hominem, tam eruditum, priùs quàm in iſtum errorem induceremini? O ſtultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos! O amentem Paulum, ruſticum Marium! Nullius conſilii Patres iſtorum amborum Conſulum, qui triumpharint! Sed quoniam præterita mutare non poſſumus, quid ceſſat hic homulus ex argilla, & luto fictus dare hæc præclara præcepta ſapientiæ clariſſimo, & ſummo Imperatori genero ſuo? &c. ] Figuram hanc ſic elegantiſſimè imitatus eſt Segnerus Conc. XI. n. IV. *Ma s'è così, troppo nel vero or compatiſco un Ottone Imperadore, il terzo di queſto nome, il quale affine di rimanere aſſoluto di una privata ingiuſtizia da lui commeſſa nel levare un Uomo di vita, accettò da San Romualdo l'aſpriſſima penitenza di pellegrinare a piè nudi al monte Gargano, ed ivi una quareſima intera veſtir di ſacco, digiunar con rigore, dormire in terra. Sempliceto ch'ei fu. Non poteva egli, come voi, contentarſi di aſpettare ſino agli ultimi aliti di ſua vita, ed allora ottenere con un ſol cenno quello, che prima gli coſtò tanto di viaggi, e di ſtrazj, di mendicità, e di ſquallore? Che dirò di Potamio gran Veſcovo Bracarenſe, il qual caduto in un grave eceſſo carnale, volle con ſommo ſuo roſſor paleſarlo in uno de' Concilj più nobili di Toledo? Non fu egli ſtolto a pigliarſi tanta anſietà. Che dirò di Fabiola, gran Principeſſa Romana, la quale, violata una famoſa ordinazione eccleſiaſtica, volle con ſomma ſua con-*

*confuſione accuſarſene ſu le porte più frequentate del Laterano? Non fu ella ſtolta in prenderſi tanto affanno? Ma giacchè non ſiete più in tempo di far ſapere la voſtra bella dottrina a perſone volatene all'altro Mondo; perchè non correte a ſcoprirla almeno a que' poveri Pellegrini, i quali inſino di là dall' Alpi ne vengono tuttodì, non ſolamente a Loreto, ma fin' a Roma, per impetrare da un Tribunale Sovrano di penitenza il proſcioglimento de' falli a lui riſerbati? Andate dunque, fermateli, dite loro, che &c.* ] Ad docendum, ad exaggerandum, ad refellendum utimur hac figura.

XXI. *Optatio* eſt, cùm vehemens aliquod ſignificamus animi noſtri deſiderium. Cic. *pro Lege Man.* [ Utinam virorum fortium, atque innocentium tantam copiam haberetis, ut hæc deliberatio vobis difficilis eſſet; quemnam potiſſimùm tantis rebus, ac tanto bello præficiendum putaretis? ] Pulcherrima eſt etiam illa apud Virgilium Eclogâ VIII.

*En erit unquam*
*Illa dies, mihi cùm liceat tua dicere facta?*
*En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem*
*Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?*

Segnerus Conc: VIII. n. VI. *O giorno deſiderabile! O giorno caro! Quando verrai a fare chiaramente apparir quelle verità, ch' or' io vò adombrando?* Et Conc: X. n. XI. *Ah quando, quando; quando verrà queſt' ora, quando verrà? Lacci troppo importuni, che mi tenete imprigionato lo ſpirito, e quando vi romperete? Quando ſarà ch' io voli libero*

*a con-*

*a contemplare il mio Dio, come fuoco alla ſua sfera, come ſaetta al ſuo ſegno? oh vita troppo lunga, oh morte troppo lontana! M'è morte il vivere, mi ſaria vita il morire:* Quis me liberabit de corpore mortis hujus? *Monti, valli, pianure, ſelve, giardini, io non mi curo veder più niente del voſtro. E che poſs'io di vago mirare in terra, a paragone di quel che aſpettami in Cielo?* Figura hæc ad movendum valet.

XXI. *Prætermiſſio*, ſive *Præteritio*, gr. παράλειψις, eſt, qua tunc maximè aliquid dicimus, cùm nolle nos id dicere, aut certè neſcire profitemur. Cic. *Or. 1. in Rullum*. [ Non queror diminutionem vectigalium, non flagitium hujus jacturæ, atque damni. Prætermitto illa, quæ nemo eſt, quin graviſſimè, & veriſſimè conqueri poſſit, nos caput patrimonii publici, pulcherrimam Populi Rom. poſſeſſionem, ſubſidium annonæ, horreum belli, ſub ſigno, clauſtriſque Reip. poſitum vectigal ſervare non potuiſſe: eum denique nos agrum Rullo conceſſiſſe, qui ager ipſe per ſeſe, & Syllanæ dominationi, & Graccorum largitioni reſtitiſſet. Non dico ſolùm hoc in Reip. vectigal eſſe, quod amiſſis aliis remaneat; intermiſſis non conquieſcat. Prætermitto omnem hanc orationem &c.] Segn: in Pan. S. Ignatii n. X. *Che ſe dall'altro lato io voleſſi tra le glorie d'Ignazio, ancora vivente, annoverare la ſtima, che a diſpetto della calunnia, e della impietà ebbe di lui il Criſtianeſimo, che bel teatro farei vedervi di onori, di acclamazioni, di applauſi? Farei vedervi quattro Sommi Ponte-*

*fici*

Digitized by Google

*fici, Paolo Terzo, Giulio Terzo, Paolo Quarto, e ſopra tutti altresì Marcello Secondo tener Ignazio preſſo di loro in sì alta venerazione, che non con altro più uſato nome il chiamavano, che di Santo: riceverne volentieri i conſigli, ricercarne frequentemente l'ajuto, ammetterlo a confidente dimeſtichezza, promulgare a richieſta di lui belliſſime leggi, fondar Moniſteri, inſtituir Seminarj, provveder biſognoſi, e condeſcendere in tutto sì prontamente alle ſue prime preghiere, a' ſuoi primi cenni, che non sì toſto a i primi fiati dell' Auſtro cedon facili i monti le loro nevi. Quindi farei vedervi un Giovanni Terzo Rè &c. . . . Ma non curo, nò, che non curo per eſaltazion di un tal'uomo le approvazioni de' Grandi, non le teſtimonianze de' Santi, non gli encomii magnifici de' figliuoli ſempre ſoſpetti.* Et in Oratione pro Religioſis Ordinibus n. II. *Io non voglio ora favellar dell' Ibernia, convertita già da un Canonico Regolare, qual fu Patrizio; non della Tartaria, di cui ſe ne dee tanto agli Allievi del gran Domenico; non della Perſia, di cui ſe ne riconoſce tanto da' Figliuoli del gran Franceſco: dite, tutto l'acquiſto del Mondo nuovo, quant'egli è grande, non è gloria de' Mendicanti?* Figura hæc in objurgationibus, in exaggerationibus, in tranſitionibus uſurpatur.

XXII. *Proſopopæja*, ex gr: Προσωποποιΐα, eſt, cùm certis quibuſdam rebus etiam ſenſu carentibus verba affingimus, vel perſonam aliquam aut veram, aut fictam etiam loquentem inducimus. Rebus ſermonem accommodat Cic. *in Verr.* [ Sicilia

lia tota, ſi una voce loqueretur, hoc diceret: Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, ſedibus, delubris fuit; quod in unaquaque re beneficio Senatûs, Populique Rom. juris habui, id mihi tu, C. Verres, eripuiſti, atque abſtuliſti. &c.] Perſonis verò ſic aptat verba [Quid ſi nunc ille Brutus reviviſcat, & hìc ante pedes noſtros adſit; non hac uteretur oratione? Ego Reges ejeci: vos Tyrannos introducitis? Ego libertatem, quæ non erat, peperi: vos partam ſervare non vultis? Ego capitis mei periculo patriam liberavi: vos liberi ſine periculo eſſe non vultis?] Segnerus Conc: XXXVI. in exordio Chriſtianam Religionem ſic loquentem inducit: [*Guerra, guerra, dic'ella, queſt'è quel, ch'io vengo a recare fra popoli. Chi mi vuol per amica non mi ragioni di morbidezze, e di agi, di ripoſo, e di ozio, perch'io proteſtomi apertamente, che queſto non è'l mio fine:* Non veni pacem mittere, ſed gladium. *Quindi promulgando con ordine più diſtinto le ſue determinazioni: Olà, ſoggiugne, voi, che ſpoſaſte così gran turba di mogli, licenziatele tutte, ch'al più ſol una mi contenterò di laſciarvene; e queſta di modo, che non poſſiate abuſarvene per impeto di libidine, ma ſol valervene per deſiderio di prole. Che ſe bramate di eſſermi più graditi non vi ſia grave di rinunziar anche a queſto gran privilegio conceduto dalla Natura, di perpetuare voi ſteſſi col propagarvi. Date voluntario rifiuto ad ogni diletto, il qual'abbia del ſenſuale: e ſe ribelle vi ricalcitri il ſenſo, aſcoltate me. Sottraetegli gli agi con la*

*vo-*

*volontaria mendicità, diminuitegli il cibo con le frequenti aſtinenze, interrompetegli il ſonno colle importune vigilie; e ſe non baſta rintuzzategli ancora colle ſanguigne flagellazioni l'ardire. Evvi boſcaglia ſpaventoſa in Egitto? Correte lieti per mio conſiglio ad aſcondervi in quegli orrori. Allora mi ſarete più cari, quand'io vedrovvi aver per caſa o gli ſcogli, o le ſepolture &c.* Conc: verò V. num. V. Sic peccatores Deus reprehendit. *Io, dirà egli, dopo eſſere arrivato a ſpirar per te ſu quel duro legno di Croce, che colà vedi, mi credea pure, ch'io di te mi poteſſi ragionevolmente promettere qualche oſſequio. Ma dimmi ingrato: ch'ai tu fatto per corriſpondermi in tanto eccеſſo di amore? &c.* Ad movendum valet maximè Proſopopœja.

XXIII. *Reticentia,* ſive *Apoſiopeſis*, ex græc: Ἀποσιώπησις, eſt, cùm orationem abrumpimus ſtatim, quin integram ſententiam abſolvamus. Cic. *ad Atticum* [ De Pompejo ſcio nihil; eumque, niſi in navim ſe contulerit, exceptum iri puto. O celeritatem incredibilem! Hujus autem noſti .... ſed non poſſum ſine dolore accuſare eum, de quo angor, & crucior. ] *Et in Piſon.* [ De noſtrum enim omnium ..... non audeo totum dicere. ] Segnerus Conc: XXXV. ex Quadr. n. XVIII. *Vi po'porranno ad ogni ſciocco capriccio, ad ogni leggiero intereſſe, ad ogni vano puntiglio, e ſe per ſorte voi verrete a confronto preſſo di loro: con chi? con una .... ( non ve lo voglio dire per non ſottoporvi in pubblico a tanto ſmacco ) non vi luſingate, o Signore, la perderete.* Ad movendum hæc valet

let, & ad rem etiam ſine verbis exaggerandam.

XXIV. *Sententia* eſt breve aliquod, & generale pronunciatum, quod ad mores hominum inſtituendos conducat. En aliquot Ciceronianas. *Philip.* 2. [ *Magna* res eſt, jam inde a teneris virtuti aſſueſcere. ] *Pro Quinctio*. [ Nullum eſt officium tam ſanctum, atque ſolemne, quod non avaritia comminuere, atque violare ſoleat. ] *Pro Sextio*. [ Multæ inſidiæ ſunt bonis. ] *pro Roſc. Amer.* [ Ad maleficium nemo cenſetur ſine ſpe, atque emolumento accedere. ] *pro Milon.* [ Exilium ibi eſt, ubi virtuti non eſt locus. ] *Philip.* 4. [ Mortem omnibus Natura propoſuit. ] Docere eſt hujus figuræ munus præcipuum.

XXV. *Suppoſitio* elegantiſſima figura; quæ noſtra hac ætate maximè eſt in uſu, fit, quando, ut veritas cauſæ magis innoteſcat, rem in contrario ſtatuimus; atque oſtendimus, quid mali futurum erit, ſi res aliter habebit. Cic. *Or.* 1. *in Rullum*: [ Verùm eſto: nihil eſt, quod non emi poſſit, ſi tantum des, quantum velit venditor. Spoliemus orbem terrarum, vendamus vectigalia, effundamus ærarium, ut locupletatis aut invidiæ, aut peſtilentiæ poſſeſſoribus, agri tamen emantur. Quid tum? quæ erit in iſtos agros deductio? quæ totius rei ratio, atque deſcriptio? Deducentur, inquit, Coloniæ. Quot? quorum hominum? in quæ loca? ] Ita Segnerus in Panegyr. S. Ignatii n. V. *Ma ſu, fingiamo ch'egli aveſſe così proſeguito a vivere, anzi più toſto a morire: Aimè che ſarebbe ora in gran parte de' tuoi fedeli, Criſtianità combat-*

*tute*

*tuta da tanti vizj, Gentilità ingombrata da tanti errori? Tante anime, che Ignazio ſol convertì or con ragionamenti privati, or con prediche pubbliche, or con eſempj ſalubri, or con iſtituzioni ammirabili, vogliamo dir che ſarebbono ſalve? Anzi ſarebbono tutte ſalve ancor quelle, ch' egli ha fin ora guadagnate per mezzo de' ſuoi figliuoli? I milioni di Barbari battezzati per mano di un Saverio ſolo nelle Indie, dove ſarebbono? dove tant' Idoli, altri bruciati, altri infranti? dove tante Chieſe, altre adornate, altre erette? Chi potrebbe ora ricordare le celebri legazioni del Giappone più incognito, e più rimoto al trono del Vaticano? Chi la Cina aperta da un Ricci a trionfi auguſtiſſimi della Croce? &c.* Ad docendum, & probandum magnam vim habet Suppoſitio.

XXVI. *Suſtentatio* eſt, qua ſuſpenſos tenemus aliquandiu auditorum animos, antequam rem exponamus, quæ ſic diu expectata, jucundior accedit. Cic. *Verr.* 7. [ Juſſu ejus homines comprehenſi ſunt, adductique Lilybæum: cauſa dicta, damnati ſunt. Quid deinde? quid cenſetis? Furtum fortaſſe, aut prædam expectatis aliquam? Nolite uſquequaque eandem quærere: in metu belli furandi qui locus poteſt eſſe? Tum potuit a Leonida nummorum aliquid auferre, cùm denutiavit, ut adeſſet: fuit nundinatio aliqua, & iſti non nova, ne cauſam dicerent: etiam alter locus, ut abſolverentur. Producuntur ſervi, & ad palum alligantur. Etiam nunc mihi expectare videmini, quid deinde factum ſit. Expectate faci-

nus

nus quàm vultis improbum: vincam tamen expectationem omnium: *tandem cùm diu ſuſpendiſſet animos*, *ſubdit*: Illi nomine ſceleris, conjurationiſque damnati, ad ſupplicium traditi, ad palum alligati, repente multis millibus hominum inſpectantibus ſoluti ſunt. Quid hoc loco potes dicere, homo amentiſſime? niſi id, quod ego non quæro: quid, aut quantum, aut quomodo acceperis?] Segnerus Conc. III. ex Quadr: n. V. *Or bene. Ecco il colpevole a' piedi dell' innocente. Che dee far Venceslao con quel ferro in mano? Su, conſigliatelo. S'egli non vuol rimanere diſonorato, dovrà ficcarglielo in ſeno, o ſerbarlo intatto? Io vi dirò ſchiettamente ciò, ch'egli fece*. Et in Panegyrico S. Franciſci Xaverii n. VIII. *Ma voi giudicherete facilmente con queſto, ch'abbia io finito, ovvero che abbia detto il meglio, ed il più de' miracoli di Franceſco, ed io vi proteſto, che ſolamente ne ho ſcorſo, ſe così è lecito dire, il menomo, e il meno. Pajonvi per ventura inſigni i prodigj da me narrati? pajonvi ſtrepitoſi? pajonvi impareggiabili? Ma non già pajono a me. Perdonatemi, che non ſono queſti i prodigj da me ammirati maggiormente in tal Vomo. E quali dunque ſono eglino? Quali ſono?* Valet hæc plurimùm ad rem exaggerandam, in narrationibus præſertim, & ad attentionem conciliandam.

## *Vſus Figurarum.*

Etſi ſingularum Figurarum præcipuos uſus edocui; quælibet tamen pro ratione rerum, quæ tractantur, ad quodcumque muñus poterit accer-

ſiri; ubi ad rem facere prudens Orator exiſtimaverit. Cæterùm venuſtatem omnem in orationem certum eſt per Figuras induci: ut enim ſine illis torpet oratio; ita earum acceſſione magnam induit venuſtatem, majeſtatem, & vim etiam ad ſuadendum. Quare Oratorum Princeps Tullius, ejuſque Æmulator eximius Segnerus toti ſunt in uſu figurarum: neque aliquam abſolvunt, quin ſtatim exordiantur alteram: immo quòd plures ſimul liceat pertractari perſpicuum erit percurrenti eoſdem. Has itaque ſemper in promptu habeat adoleſcens, & aſſueſcat Figuris ſemper exornare, quæ ſcribit.

## ARTICULUS III.

### *Elocutio Diſpoſita.*

DIſpoſitio Elocutionis eſt: Verborum recta, & numeroſa Diſpoſitio, beneficio cujus jucundior ad aures venit Oratio. Tria poſtulat Diſpoſitio iſta: I. ut arceantur aliqua vitia, quæ numero orationis officerent: II. ut verba bene collocentur. III. ut commodè periodo utamur.

Vitia arcenda ſunt I. *Hiatus*, qui in concurſu vocalium immoderato conſiſtit: ut [ Amplæ aulæ elegantia. ] II. *Aſperitas*, quæ in frequentia nimia conſonantium ſita eſt; præſertim ſi ſint ex aſperioribus: ut [ Ars ſtudiorum. ] III. *Coacervatio* aut plurium monoſyllabarum: ut [ In hac re nos hic non feret: ] aut literæ ejuſdem, vel ſyllabæ: ut

[ Quiſ-

[Quiſque petat, quod quærit.] IV. Uſus verborum, quæ minùs ſonant, poſthabitis elegantioribus: ſuaviùs autem ea ſonant, quæ productiora ſunt, ut Superlativa: ] Conſpectus veſter multò jucundiſſimus.] Verbalia: ut [Moderatrix animi prudentia.] Compoſita: ut [Perdiſcere, concelebrare.]

Verba verò ita in ſingulis membris collocentur, ut elegantiam quamdam oratio præſeferat, quæ ab adoleſcentibus abſolutè dicitur *Elegantia*. Ejus leges, ut illis ſervandis aſſueſcant, adoleſcentium eorundem gratiâ ſubjicio.

I. Verbum ultimam ſedem ſæpe occupat; primas verò eæ voces, quæ erant poſtremæ. e. g. [Regi Perſarum bellum intulit.]

II. Adjectivum venuſtè ſubſtantivo præponitur; ſicut & relativum antecedenti ſuo: ut [Fortiſſimus miles. Quam contempſerant pacem efflagitabant.]

III. Adjectivum, & ſubſtantivum eleganter ſeparantur, interpoſita aliqua dictione: e. g. [Unicus Regis filius.]

IV. Verbum finitum frequenter infinito poſtponitur: e.g. [Vinci avaritiâ non potuit.]

V. Genitivus duorum nominum ſubſtantivorum ſubſtantivo ſuo præponi ſolet: ut [Cæſaris eloquentia.]

VI. Inter præpoſitionem, & ejus caſum ſolet genitivus interponi: e. g. [In rerum omnium penuria.]

VII. Ablativus abſolutus vel ante verbum, vel ini-



Digitized by Google

initio periodi collocetur: e. g. [ Exercitus, flumine obſiſtente, conſiſtit. Fame imperante viliſſima quæquæ comedebant. ]

VIII. Subjunctivus modus pro indicativo eleganter, nec rarò ponitur: e.g. [Amicos nolo, quos non probaverim. ]

IX. Infinitum in participium mutari poteſt: e.g. [ Vos rogatos velim. Mihi conſulto opus eſt.]

X. Adjectivum eleganter ſubſtantivè ponitur, vel in adverbium tranſit, appoſito ſubſtantivo in caſu gignendi: e.g. [ Multum argenti. Aliquid divitiarum. Nihil literarum.]

XI. Pro adjectivo laudis, aut vituperii venuſtè utimur adjectivo oppoſito, præpoſita negatione: e. g. [Bellicæ artis non imperitus.]

XII. Res, in qua laus aliqua, aut vituperatio ſita eſt, eleganter genitivo effertur, addito aliquo ex iis nominibus: Laude, Gloria, Splendore, Crimine, Scelere: e. g. [ Virtutis laude floruit. Proditionis crimine damnatus eſt.]

XIII. Dictio univerſalis ultimum locum obtinere ſolet in periodo: e. g. [ Eloquentiæ laude parem habes neminem. ]

XIV. Caſus rectus venuſtè ultimo loco ponitur: e.g. [ Inter eloquentiſſimos cenſendus eſt Cato.]

XV. Ad addendam vim orationi, poſitivo nomini particula *Per*, aut *Perquam* præmitti ſolet: e.g. [Per jucundus. Perquam doctus. ] Comparativo verò particula *Longè*: e.g. [ Longè felicior. ] Superlativo demum particula *Quàm*: e.g. [Quàm maximus.] quæ quidem particulæ adverbiis etiam

præ-

Digitized by Google

præmitti poſſunt: e.g. [ Perquam ſapienter. Quàm celerrimè. ]

XVI. Non levem addit venuſtatem adverbiorum quorundam uſus, quæ vim confirmandi habent: ut, Porro, Sanè, Quidem, Profectò, Certè: e.g. [Nihil ſanè pernicioſius bello. Multa quidem ſunt, quæ vellemus.]

Uſus demum Periodi, quam ad Elocutionem Diſpoſitam dixeram pertinere, cùm ſit maximè utilis, diſtinctiùs pertractetur.

*Quid ſit Periodus, & ejus partes.*

*Periodus* eſt [ Continuatio quæcumque verborum, quæ ita inter ſe aptè connectuntur, ut perficiant, abſolvantque ſententiam.] *ut Cic. ad Att. l.* 3. [ Etſi diligenter ad me Q. Frater, quæ eſſent acta, ſcripſerat; tamen vellem tua te occupatio non impediſſet, quominus ad me, quid ageretur, perſcriberes.]

Partes verò periodi duæ ſunt: Membrum, & Inciſum.

*Membrum* eſt pars periodi, quæ quamvis aliquid perfectè ſignificat, ſuſpenſum tamen relinquit auditoris animum, & ulterius aliquid expectantem: ut [Etſi diligenter ad me Q. Frater, quæ eſſent acta, ſcripſerat. ] hactenus non quieſcit ſenſus, niſi addatur: [tamen vellem &c.]

*Inciſum* eſt ejuſdem periodi pars illa, quæ nihil perfectè ſignificat: a ſequentibus tamen vocibus aliqua ratione ſejungitur, quam facilè dignoſcet ſcribentis prudentia: ut eſſet, ſi particula aliqua conjunctiva, aut disjunctiva ſequeretur, vel ſi ſequen-

quentes voces a diverſo verbo regerentur, vel quid ſimile: ut [Etſi diligenter ad me Q. Frater,] in quo perfecti nihil ſignificatur; & ſequentes voces ad aliud verbum pertinent.

Hinc habes quid ſit Inciſim, quid Membratim, quid Periodicè dicere.

*Periodicè* dicit, qui periodo ſuis partibus conſtituta ſententiam ſuam proponit. Hoc dicendi genere utimur in amplificationibus, laudationibus, in rebus gravibus, ſed potiſſimùm in exordiis.

*Membratim* dicit, qui membra adhibet in periodum non alligata; in quorum ſingulis veluti conſiſtat oratio: ut Cic. *pro Milon.* [Itaque quando illius poſtea ſica illa, quam a Catilina acceperat, conquievit? Hæc intenta vobis eſt: huic ego vos objici pro me non ſum paſſus: hæc inſidiata Pompejo eſt: hæc ipſam Appiam viam, monumentum ſui nominis, nece Papirii cruentavit.] Hac oratione utimur ad refellendum, ad invehendum; ſed maximè ad narrandum.

*Inciſim* dicit, qui plura adhibet inciſa, in quorum ſingulis inſiſtit oratio. Cic. *poſt Reditum in Sen.* [Sine ſapore elinguis, tardus, inhumanus. Domi quàm libidinoſus? quàm impurus? quàm intemperatus?] Inciſa oratio ad inſtandum, deridendum, refellendum, exaggerandum valet.

## *Quotuplex ſit Periodus.*

Quadruplex eſt: Simplex, Bimembris, Trimembris, Quadrimembris.

*Simplex* eſt, quæ unicum membrum habet. Cic.

*in*

*in Piſon.* [Hic honor habitus eſt togato ante me, nemini.]

*Bimembris* eſt, quæ duplici membro conſtat. Cic. *pro Marcel.* [I. Ergo & mihi meæ priſtinæ vitæ conſuetudinem, C. Cæſar, interclufam aperuiſti; II. & his omnibus ad bene de Rep. ſperandum, quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti.]

*Trimembris* eſt, quæ tria membra continet. Cic. *pro Quinctio*: [I. Etenim ſi veritate, amicitiâ, fide ſocietas, pietate propinquitas colitur; II. neceſſe eſt iſte, qui affinem, ſocium, amicum famâ, & fortunis ſpoliare conatus eſt; III. vanum ſe, & perfidioſum, & impium eſſe fateatur.]

*Quadrimembris* eſt, quæ quattuor membris admodum ſimilibus, & ejuſdem ferè magnitudinis conſtat, & *Quadrata* dicitur; eadem, quæ valde numeroſa ſit, *Rotunda* dicitur. Erit exemplum Periodi hujuſcemodi exordium pro C. Rabirio [Etſi, Quirites, non eſt meæ conſuetudinis, initio dicendi rationem reddere, qua de cauſa quemque defendam, (I. membrum) propterea quòd cum omnibus civibus in eorum periculis ſemper ſatis juſtam mihi cauſam neceſſitudinis eſſe duxi: (II. membrum) tamen in hac defenſione capitis, famæ, fortunarum omnium C. Rabirii proponenda ratio videtur eſſe officii mei: (III. membrum) propterea quòd, quæ juſtiſſima mihi cauſa ad hunc defendendum eſſe viſa eſt, eadem vobis ad abſolvendum debet videri. (IV. membrum.)

Quæ verò Periodus ſic inter ſe diſpoſita mem-

bra numerat, ut eodem manente ſenſu, & orationis concinnitate pars prior Periodi, *Protaſis* dicitur, collocari poſſit loco poſterioris, quæ appellatur *Apodoſis*, & poſtrema membra fiant prima; vocatur *Decuſſata* a vocabulo *Decuſſis*; cujus figuram exhibet numerus major Denarii Romani: quæ figura ſic eſt diſpoſita, ut ſi eam invertas, & partem imam ponas loco ſummæ, maneat tamen eadem figura, & nota numeri Denarii X. Talis eſt illa Periodus, quæ initio Orationis pro Cœcina legitur: [Si quantum in agro, locisque deſertis audacia poteſt, tantum in foro, atque in judiciis impudentia valeret;( Protaſis ) non minùs in cauſa cederet Cæcina Sex: Æbutii impudentiæ,quàm tum in vi facienda ceſſit audaciæ. ]

*Nexus partium in Periodo.*

Cùm ſuis membris periodus conſtet, quæ in unum veluti corpus coaleſcunt; maximè intereſt, ut illa aptè inter ſeſe ita connectantur, ut dum excurrit Periodus, ſenſus ſemper ſuſpenſus maneat, uſque dum, abſoluta periodo, integra ſententia conquieſcat: hoc autem præſtant quædam particulæ, quæ per ſingula membra diſtributæ connectunt illa inter ſeſe, & ad exitum uſque periodi ſuſpendunt: ut in relatis hactenus exemplis facilè obſervaveris. Iſtiuſmodi verò Particulæ multiplicis generis ſunt.

I. *Comparativæ*: ut; Tantùm, Quantùm. Non minùs, Quàm: e. g. [ Gratiâ tantùm poſſumus, quantùm victi.]

II. *Diſtributivæ*: ut Et, Vel, Aut. e.g. [ Aut nobis

nobis vincendum, aut moriendum, milites, eſt.]

III. *Dubitandi*, aut *Interrogandi*: ut Utrum, An, Num, Fortè: e.g. [Id nunc quærendum; utrum inſidias fecerit Clodio Milo, an Clodius Miloni.]

IV. *Optandi*: ut (Utinam,) cui reſpondet: (Nunc verò, At.) e.g. [Utinam virorum fortium copiam tantam haberetis! nunc verò cùm ſit unus Cn. Pompejus, &c.]

V. *Relativæ* omnes, quas habes apud Turſellinum: illarum aliquas ſubdo: (Quanquam, Etſi, Quamvis;) quibus reſpondent: (Tamen, Nihilominus, Veruntamen.) (Quemadmodum, Sicut, Ut;) quibus reſpondent: (Sic, Ita, Non aliter.) (Non ſolùm, Non modo;) quibus reſpondent: (Sed etiam, Verùm etiam.) (Quoties;) cui reſpondet: (Toties.) (Qualis;) cui reſpondet: (Talis.) (Unde;) cui reſpondent: (Inde, Eò.) (Quò magis, Quò minùs;) quibus reſpondent: (Eò magis, Eò minùs.) (Perinde;) cui reſpondent: (Ac ſi, Atque, Ut, Quaſi) &c.

*Numerus in Periodo.*

Etſi ſoluta numeris oratione loquatur Orator; non eſt tamen integrum ipſi quocumque voces quaſcumq; in loco collocare, nulla habita numeri ratione: habet enim ſuam etiam harmoniam ſoluta Oratio, non qualis eſt in Poëmatis, ſed ita diſſimulatam, atq; latentem, ut diſpoſitis per eam verbis omnibus initio præſertim, atq; fine, ſumma aurium voluptate æqualiter, conſtanterq; ingrediatur periodus, ac faciliter, ſuaviterque conclu-

cludatur. Quod ut obtineas, omiſſis jis, quæ alii non ad eruditionem, ſed ad inutilem, ut arbitror, adoleſcentium defatigationem appoſita præſcripſere, duas tantùm leges propono, quas uſui Tironum magis accommodatas exiſtimo.

Prima ſit perattenta Ciceronis lectitatio, in qua numeroſæ cujuſcumque ſententiæ non ſenſum modò, ſed & ſonum, ac numerum Tiro & intelligat, & pronunciet, & imitari conetur in ſcribendo: quare earum aliquas memoriæ mandet, & in ſuis exercitationibus in promptu ſemper, & ob oculos habeat, & ad illarum numerum ſuas etiam componat: in quo poſtquam aliquandiu elaboraverit, accedente deinde uſu, idem ſine labore, ſine cogitatione præſtabit. Hæc lex tanti eſt, ut ſola etiam ſatis ſit ad addiſcendum facillimè periodi numerum: quamobrem facilitatis gratiâ ex numeroſis Ciceronis ſententiis ſelectas aliquot mox dabo.

Altera ſit notio verborum, quæ in fine periodi collocari poſſunt: de qua etſi id in univerſum dici poſſit, oportere ſcilicet graviora, atque longiora verba in fine periodi collocari, temperando, ac alternando quodammodo longas, ac breves; juvat tamen dicere accuratiùs aliquid de qualitate dictionum, quæ eleganter in fine collocantur: ſunt autem

I. Vox pentaſyllaba paraxitona, quæ ſcilicet accentum habet in penultima, præcedente alterâ pentaſyllaba paroxitona: ut [ O miſeræ mulieris fæcunditatem calamitoſam! ] vel præcedente

tri-

triſyllaba paroxitona: ut [Non mea me voluntas, ſed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate ſuſceptæ prohibuerunt. ]

II. Vox pentaſyllaba proparoxitona, quæ videlicet accentum habet in antepenultima, præcedente monoſyllaba : ut [Contra nos maximè faciunt in hoc tempore ſumma gratia, & eloquentia.]

III. Vox tetraſyllaba paroxitona, præcedente diſſyllaba : ut [ Non habet definitam aliquam regionem, cujus terminis ſepta teneatur. ] vel præcedente triſyllaba paroxitona, aut proparoxitona : ut [ Qui ad me cauſam Reip., periculaque rerum ſuarum detulerunt : ] & [ Neque verò oratione ſolùm, ſed multò magis vitâ, & factis, & moribus comprobavit. ] vel præcedente alia tetraſyllaba, ſive paroxitona ea ſit, ſive proparoxitona : ut [In eo maximæ moleſtiarum, & turbulentiſſimæ tempeſtates extiterunt. ] & [ Quotidianis virginis lamentationibus de veſtro judicio commoveri. ] vel demum præcedente pentaſyllaba paroxitona : ut [Ad lamentandam tanti imperii calamitatem relinquatur. ]

IV. Vox tetraſyllaba proparoxitona, præcedente diſſyllaba: ut [Quos amiſimus cives, eos maris vis perculit, non ira victoriæ.] vel præcedente triſyllaba paroxitona : ut [Mea lenitas, ſi cui ſolutior viſa eſt, hoc expectabat, ut id, quod latebat, erumperet. ] vel præcedente tetrasyllaba paroxitona : ut [ Vivis, & vivis non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam. ] vel præcedente pentaſyllaba paroxitona : ut [ Quorum arti-

artibus veſtra iſta dicendi vis ne nimia quidem ſocietate conjungitur.]

V. Vox triſyllaba paroxitona, præcedente tetraſyllaba paroxitona: ut [Omne meum tempus amicorum temporibus tranſmittendum putavi.] vel præcedente pentaſyllaba, aut paroxitona, aut proparoxitona: ut [Id homo eruditus inſidiis doctiſſimis hominum diſſimulandum putaret.] & [Habet magnum dolorem, unde cum honore diſceſſeris, eòdem cum ignominia reverti.]

VI. Vox triſyllaba proparoxitona, præcedente monoſyllaba: ut [Spe ampliſſimorum præmiorum ad Remp. adducti, metu crudeliſſimorum exitiorum carere non poſſumus.]

VII. Vox diſſyllaba, præcedente triſyllaba paroxitona: ut [Nulla eſt tanta vis, tantaque copia, quæ non ferro, ac viribus debilitari, frangique poſſit.] vel præcedente pentaſyllaba paroxitona: ut [Conſilio repudiarem meo?]

## ARTICULUS IV.

### *Elocutio Apta.*

APta erit elocutio, ſi eo ſtylo rem conſcribet Orator, quem res ipſa, quæ agitur, poſtulaverit: quare de ſtylo, ejuſque uſu agendum eſt aliquid.

### *Quid ſit Stylus, & quotuplex.*

Stylus eſt [Ratio, ſeu conformatio ſermonis rei tractandæ accommodata] nam etſi pro ſuo quiſque

que

que ingenio propriam dicendi, ſcribendique formam inditam habeat a natura; ( alii enim amant ſtrictim ſcribere, fuſiùs alii, alii magnificè, alii temperatè, & humiliter, alii argutè, &c. ) qui tamen ſcribit, ingenium ipſum ſuum, ſuamque indolem ad res, quæ aguntur, deflectat, illiſque accommodet.

Triplex eſt Stylus: Sublimis, Tenuis, Medius.

*Sublimis* ſtylus is eſt, qui graves ſententias, verba ſplendida, atque ſonantia, circumductas periodos, & ad majeſtatem compoſitas, nobiliores, ac vehementiores figuras uſurpat; qui rem, qua parte illuſtrior eſt, diſſimulatis cæteris, ſectatur; eamque vehementiori eloquentiæ apparatu incedentem proponit. Stylum hunc inficere poteſt *Tumor*; quo vitio laborant ii, qui verba ſexquipedalia, ampullatas ſententias, & grandia ſemper, ventoque inani diſtenta, quorum nihil eſt ſolidum, ſtudent eloqui.

*Tenuis* ſtylus eſt, qui maximè perſpicuitatem amat, figuras vehementiores reſpuit; mitiores verò, ac tropos verecundè uſurpat: ſententiis, argutiiſque moderatè utitur: conciſa dicendi ratione, ſuccinctiſque periodis fertur. *Demiſſio*, & *humilitas* orationis in tenui ſtylo cavenda eſt; ne ſcilicet aut verba, aut ſententiæ demiſſæ nimiùm ſint, & humi ſtratæ.

*Medius* ſtylus eſt, qui inter ſublimem, ac tenuem incedit; vim in dicendo, verborum gravitatem, nimiam majeſtatem ſententiarum non admittit: amat tamen argutias, tropos, verborum

jucundiorem apparatum, ornamenta denique omnia, quæ ad venuſtatem ſermoni comparandam faciunt: quare & floridula a Cicerone dicitur. In uſu vero Argutiarum, & Acuminum cave ne nimis crebra ea ſint, neve per vim adducta: facile enim eſt, ut, dum argutè plura dicere volumus, quàm par eſt, pleraque nimis frigidè dicamus, aut pueriliter.

*Triplicis Styli uſus.*

Is optimus ſtylus eſt, non qui tractat cuncta magnificè, ſed qui maximè aptatur rei, de qua agitur. Quare grandia ſtylo ſublimi, parva tenui, mediocria medio conſcribenda ſunt.

Habenda eſt tamen potiſſimùm ratio ejus finis, quem velit Orator in unoquoque orationis genere conſequi: Sublimi enim ſtylo maximè utimur ad movendum; tenui ad docendum; medio ad delectandum: quare in una, eademque oratione poterit ſtyli ratio variari pro finis hujus triplicis varietate.

Sublimem ſtylum uſurpat Cicero in omnibus ferè Orationibus; ſed potiſſimùm *in Verrem*, *in Piſonem*, *pro Milone*, *in Catilin. II. & Philip. II.* Tenuem verò in Epiſtolis, in Topicis, in libris de Inventione, & de Partitione, & in nonnullis etiam Orationibus, ut *pro Quinctio*, *pro Flacco*, *pro Plancio*. Medium demum *in orat. pro Lege Man. pro Marcello*, *pro Archia*, & in libris de Oratore ad Q. Fratrem, & de Claris Oratoribus.

*De Stylo Laconico, & Aſiatico.*

Stylus *Laconicus* a Laconibus, ſive Lacedæmo-

moniis dictus, qui eum ſtylum adamabant maximè, eſt [dicendi ratio perbrevis, ſed acuta, quæ multa paucis concludit] ſic Alexander ſuadenti Parmenioni, ut iniret cum Dario pacem, acceptâ in uxorem ejus filiâ cum decem millibus talentorum, & dimidia parte Aſiæ, dicentique laconicè: [Ego vero acciperem, ſi Alexander eſſem.] laconicè etiam reſpondit: [Et Ego, ſi Parmenio eſſem.] Stylus iſte eſt laude dignus; dum obſcuritatem vitet, & non totam perſequatur orationem; ſed dictis quibuſdam gravioribus, ſententiis, rebuſque majeſtate plenis reſervetur.

Stylus *Aſiaticus* ab Aſiæ populis dictus, qui ſtylum hunc in deliciis habebant, is eſt, qui multa verborum profuſione pauca dicit. Stylus iſte Hiſtrionibus accomodatus, ſapientibus omnino non placet. Tu, ſi me audis, nunquam Aſiatico, parcè Laconico, paſſim ſtylo Medio utitor cum Cicerone.

## CAPUT IV.

### *De Memoria.*

MEmoria eſt [Firma rei totius concinnè expoſitæ recordatio.] Facilitatem retinendarum memoriter rerum non æquè omnibus naturæ Auctor impertitur. Aliqui, quorum memoriam aqueam vocant, ſtatim, quæ volunt, addiſcunt; ſed dediſcunt etiam ſtatim: non ſecus ac ſi ſcriberent in aqua. Alii contrà res magna cum diffi-

difficultate perdiſcunt: ſed quæ ſemel didicere, vix unquam amittunt: horum memoria eſt ferrea: quaſi verò ſcriberent in ferro. Alii cum aliqua difficultate res percipiunt; ſed poſt aliquod ſpatium obliviſcuntur: memoria iſtorum cerea vocatur: nam cera, quàm facilè figuram admittit, facilè etiam dimittit. Alii demum feliciſſimi omnium, papyraceam memoriam habent, quæ inſtar chartæ facillimè arripit, & arrepta tenaciter ſervat.

Hæc verò memoria, quæcumque ea ſit, aliquibus artis ſubſidiis, & adjuvari poteſt, & augeri. Subſidia hæc adoleſcenti propono.

I. Rem memoriæ conſignandam ſemel totam percurrito, ut confuſam veluti notitiam rei totius acquiras: relegito deinde iterum, ac intelligito: rectè enim intellecta faciliùs percipiuntur: tum per partes addiſcito; nec ab una ad aliam, nondum primá bene poſſeſsá, gradum facito.

II. Matutinas horas, quibus mens liberior eſt, huic labori attribuito: curato tamen, ut ante ſomnum rem ſemel, atque iterum pervolvas, quam ſtatim expergefactus a memoria exigito.

III. Memoriæ plurimùm inſervit ordinata partitio orationis: confuſa namque, & inordinata memoriam etiam confundunt, & diſtrahunt.

IV. Paginam, qua ſemel uteris, ne immutato: nam chartæ alterius imago phantaſiam perturbat.

V. Si res addiſcenda erit longior; ad oram paginæ notulas quaſdam apponito, quæ indicent quam rem quæque pars tractet: ſic adſcribito.

*Præ-*

*Prælium*, ſi pugnam narras; *Navis*, ſi navigationem, &c. Hæ notulæ uno veluti intuitu omnes relectæ rem ſtatim ob oculos ponunt.

VI. Locum ſeligito interventoribus vacuum, ubi rem memoriæ mandes; & in quo nihil ſpectatu dignum oculos, mentemque diſtrahat.

VII. Rem non tacitè, ſed ſubmiſſa voce perdiſcito: cùm verò jam tenere incipis, elatiore voce, & paulatim, nec ſine geſtu recitato: quo fit, ut magis memoriâ inſideat.

VIII. Si quis locus ſæpiùs memoriâ excidat; ibi oram chartæ ſigno aliquo, e. g. Cruce notato, cujus aſpectu res in poſterum præ cæteris faciliùs occurrat.

IX. Memoriam quàm ſæpiſſime excolito; neque dies excidat, quin aliquid memoriæ commiſeris: hoc primum omnium memoriæ præſidium eſt.

## CAPUT V.

### *De Pronuntiatione.*

PRonuntiatio eſt: [Apta Vocis, & Geſtûs in oratione recitanda moderatio:] quibus duabus partibus, Voce, atque Geſtu, auribus, & oculis auditorum, qui utrumque hunc ſenſum in Oratorem intendunt, ſatis fit. Quanti verò habenda ſit Pronuntiatio recta, indè collige, quòd ſummi etiam Oratores, aptæ pronuntiationis defectu, non raró numerentur in infimis; mediocres verò, actionis dignitate, cum maximis Orato-



Digitized by Google

ribus aliquando componantur.

Cùm itaque Vox, & Geſtus ſint Pronuntiationis partes; de Voce primùm, deinde de Geſtu dicam. Et quoniam ſæpe non recitat Orator, quæ condidit, ſed ſcripta exhibet; adoleſcentium gratiâ de Interpunctione, tum de recta ſyllabarum diviſione aliquid addam.

## ARTICULUS I.

### *De Voce.*

VOx ad dicendum appoſita naturæ beneficium eſt: adjuvatur tamen, atque perficitur præceptis artis, quæ hæc ſunt.

I. Orator non ſimul ac dicturus prodit, in verba erumpat: ſed paululum ſeſe colligat, & comparet ad dicendum.

II. Vox ne ſit abſona: quòd ſi naturæ vitio minùs eſt grata; curet Orator per frequentem affectuum variationem, vociſque moderationem mitigare aſperitatem.

III. Non ſit in dicendo præceps, ac velox; ſed articulatè omnia, atque diſtinctè proferat; ne poſtremas ſyllabas abſorbeat, eas præſertim, quæ membra, vel periodos concludunt: tum etiam per morulas ſingulis interpunctionibus debitas aptè conſiſtat; ut & vox recreetur, & auditoribus cogitandi ſpatium aliquod relinquatur.

IV. Cantilenam omnem effugiat, vulgare a doleſcentibus vitium. Scopulum hunc facilè vitave-

taverit, ſi jubebitur vernaculà priùs linguâ recitare, quod dicit, ac more familiariter loquentium.

V. Frigida ne ſit pronunciatio, narrantium inſtar; ſed fervens, ac rebus accommodata; quare eos induat affectus Orator, quos exprimit in dicendo.

VI. Multiplex eſſe vox poteſt: Acuta, Incitata, Flebilis, Lenis, Effuſa, &c. Curet itaque Orator, ne eodem vocis ſono ab initio ad finem uſq; orationem proferat; ſed immutet pro rerum varietate. Iracundia acutam vocem, & incitatam postulat; Dolor, ac Miſeratio flebilem, & interruptam; Metus demiſſam, hæſitantem, ac crebrò interſiſtentem; Audacia firmiorem, atque pugnacem; Lætitia effuſam, lenem, & hilaratam &c.

VII. Pro variis etiam orationis partibus temperanda vox eſt. Exordium ſubmiſſam, ac verecundam poſtulat; niſi fortè ſit ex abrupto. Propoſitio claram quàm maximè, atque familiarem. In Narratione aſſumgat tantiſper, dum aperta ſit, atque familiaris. In Confirmatione, & Confutatione ſit acrior, & vehementior. In Peroratione ſit excitatior, & tota ad affectus, qui exprimuntur, accommodata.

VIII. Ne vox ultra attollatur, aut deprimatur, quàm par eſt; ſed pro amplitudine loci, & auditorum multitudine temperetur.



Digitized by Google

## ARTICULUS II.

### *De Geſtu.*

GEſtus eſt: [ Corporis totius motus, & conformatio. ] in quo ne Orator peccet, ſervet iſta:

I. Nihil ſit in geſtu diſſonum, nihil ſcenicum, aut diſſolutum nimis, quod hiſtrionicam potiùs, quàm oratoriam actionem referat; nihil affectatè exquiſitum, aut effœminatum; nihil demum ruſticum, vel agreſte; ſed pro affectuum varietate varietur, oratoria gravitate compoſitus.

II. Stet compoſito ita corpore, ut neque dextrorſum, neque ſiniſtrorſum pendeat, ſed rectus; virili tamen laterum quadam inflexione pro rerum varietate regat ſeſe.

III. Corpus vehementiùs non agitet incompoſitis commotionibus; neque huc illuc ineptè curſitet: ſtet verò potiùs, quàm ſedeat.

IV. Caput erectum potiùs, atque celſum, quàm in aliquam partem continenter deflexum habeat; niſi aut mœror, aut commiſeratio, aut indignatio, &c. leviter illud in partem aliquam inclinent.

V. Vultus eos affectus, quos exprimit oratio, omnino induat ita, ut tamquam in imagine Oratoris animus inſpiciatur in vultu.

VI. Oculos leniter in auditores convertat, non fixo tamen in aliquem obtutu, ſed circumducto at exprimant oculi etiam dicentis affectus: quod



Digitized by Google

qua arte fiat, docuit quemque natura: ſic demiſſi oculi modeſtiam indicant, averſi odium, vel faſtidium, clauſi meditantem animum produnt, elati in cœlum orantem, &c.

VII. Geſtus manuum in prima orationis periodo locum non habet: reliquum orationis comitetur geſtus; non tamen ita, ut ſingulis quibuſque verbis ſuus geſtus addatur, inſtar Hiſtrionum, quorum eſt nihil pene effari, quin varios ſtatim geſtus apponant. Ut itaque oratoriæ gravitati geſtus inſerviat, nonnulla dicuntur aliquando ſine manuum motu; plura ita cum illo conjuguntur, ut geſtus rem exprimens, quæ potiſſimùm in eo membro ſignificatur, in longum protractus, unà cum membro, vel etiam cum periodo abſolvatur.

VIII. Dexterâ potiſſimùm uti oportet, qua agente, ſiniſtra vel pulpito adhæreat, vel pectori. Quòd ſi res vehementior ita poſtulaverit, accedat ſiniſtra comes, & adminiſtra dexteræ. Sola ſiniſtra nunquam adhibetur.

IX. Motûs dexteræ hic ſit uſus. Qui de ſe, vel ſuis dicit, manum pectori admoveat: ſi de adſtantibus, illos dexterâ indicet: ſi quid deſignat; indice faciat: ſi de ſupernis ſermo eſt; manum temperatè attollat: ſi de infernis, vel terrenis; manum demittat: ſi indicit ſilentium; manum extendat, vel ori admoveat: ſi admiratur; extentam manum attollat: &c.

X. Geſtus manuum aptè a ſiniſtro latere incipit, in dextero deponitur: nunquam tamen capitis altitudinem excedat manus, niſi in ſummis

affectibus; neque faciem unquam operiat.

XI. Cum verbis quivis geſtus cohæreat: ſe enim deridendum daret Orator, qui, dum cœlum appellat, deſignaret terram.

XII. In univerſum hoc de geſtu, motuque corporis dici poteſt, ut nihil in eo ſit, quod adſtantium offendat obtutus, vel quod minùs cum re cohæreat, quam exprimimus.

## ARTICULUS III.

### *De Interpunctione.*

INterpunctio eſt [ Uſus in ſcribendo earum notarum, quæ litteræ non ſunt: ] ut Punctum, Coma, ſeu, ut alii, Virgula, Interrogatio, &c. Has notas non omnes, & ſi ſapientiores ſpectaveris, æquè uſurpant: quare hìc, quas certiores arbitror, leges interpunctionis propono.

I. Periodus quælibet (diximus ſuo loco quid ſit Periodus, quid Membrum, quid Inciſum) litterá majuſculá inchoatur, puncto verò concluditur. Subſequens periodus (ſi quæ antecellerat, non ſenſum modò, ſed & materiam ea orationis parte propoſitam abſolverat) & litteram majuſculam initio poſtulat, & ſeparatà lineolâ ſcribi incipit.

II. Membrum a membro per coma, & punctum ſecernitur. Quòd ſi membrum antecedens ſenſum ita perfectè abſolvit, ut puncto potuerit concludi; Orator tamen partem alteram addit,

quæ

quæ vel antecedentem explicet; vel circumſtantiam ejus aliquam, vel rationem addat; vel inferat ex ea aliquid; tunc loco comatis, & puncti, duo puncta ſolent adhiberi: ut [ Immoderata potùs, & cibi ratio in homine etiam robuſtiſſimo vires opprimit: quandoquidem non eſt ſtomacho tanta vis; ut quidquid intromiſeris concoquat. ]

III. Inciſum ab inciſo, ſolo interpoſito comate, ſeparatur: quin & minora quædam membra, quæ à conſequentibus magis dependent, ſolo comate contenta ſunt: ut [ Quæ civitas unquam tam tenuis, quæ tam parva inſula fuit, quæ non portus ſuos, & agros, & aliquam partem regionis maritimæ per ſe ipſa defenderet? ]

IV. Nomina propria, vel exprimentia dignitatem aliquam grandem, litterâ majuſculá inchoantur. Similiter cùm alterius verba referimus, eorum prima littera ſit majuſcula.

V. Cùm interrogamus, interrogandi nota in fine ponitur; linea videlicet inflexa, puncto ſuppoſito: ut [ An pietas tua major, quàm Gracchi? an conſilium? an auctoritas? ] Præterea cùm admiramur, in fine nota ſit admirationis; punctum videlicet, cui recta lineola ſuperadditur: ut [ O nequiſſimi hominis rapacitatem impudentiſſimam! ]

VI. Notam illam, quæ reſpondet accentui gravi Græcorum, & vulgò vocatur accentus, ſuper poſtremam eorum adverbiorum vocalem adnotamus, quæ ſi ſine ea eſſent, aliam ſignificationem inducerent: ut Quàm, Modò, Profectò. ]



Digitized by Google

VII. Quoties ſententiam aliquam omnino diverſam in mediam conjicimus periodum, Parentheſis eſt; ac duobus majuſculis ſemicirculis ſeſe mutuò aſpicientibus concluditur: ut [ At videamus ( ut omittam longinqua, ) agrum præneſtinum a paucis poſſideri. ]

VIII. Notâ litteræ rejectæ rarò latini ſcriptores utuntur. Si quando autem utendum, exprimitur per ſemicirculum averſum ſupra ultimam vocis litteram poſitum: ut [ Audin', Viden', Opuſt', ] pro [ Audis ne? Vides ne? Opus eſt. ]

## ARTICULUS IV.

### *De recta ſyllabarum Diviſione.*

AD rectè ſcribendum plurimùm intereſt recta ſyllabarum Diviſio, quæ in hoc ſita eſt; ut ex conſonantibus, quæ duas inter vocales intercedunt, eas antecedenti vocali attribuamus, quæ ad illam pertinent; quæ verò ad illam non pertinent, conſequenti: cùm enim aliquando linea ad oram paginæ deducta totam dictionem non capiat, dividere hanc oportet, ſalvâ tamen ſyllabarum integritate; atque in fine prioris lineæ eas ſyllabas ejus dictionis ſcribere, quas illa capit; reliquis verò poſteriorem lineam inchoate. Ne in hac diviſione pecces, tres leges ſervatas velis.

I. In vocibus compoſitis præpoſitio eas tantùm ſibi conſonantes adſciſcit, quas antea habebat;

bat; ſive una illa ſit, ſive plures: quare ſic divide voces iſtas: [ Ab-eo, abs-cedo, abs-condo, ab-undo, ad-oro, ad-ſcribo, de-ſpero, dis-puto, ex-oro, ob-ſtruo, re-ſpiro, trans-mitto, us-piam. ] & in græcis: [ex-odus, is-agoge, pros-odia, ſyn-agoga, ſyn-odus.] ſic etiam: *aru-ſpex*; quia pars ejus poſterior eſt a *ſpectando*, & *abs-temius*, quia pars poſterior eſt a *Temetum*, quod eſt vinum.

II. In vocibus ſimplicibus, ſi duas inter vocales una conſonans intercedit, ſequenti vocali attribuitur: ut [ pa-ter, fe-ro, mi-ſer.]

III. In iiſdem ſimplicibus, quoties plures ſimul conſonantes inter duas vocales inveniuntur; toties videndum, ſi vox aliqua ſit vel græca, vel latina, quæ illis conſonantibus ſimul junctis inchoetur; quæ ſi erit, conſonantes illæ ſequenti vocali omnes adſcribantur: quòd ſi nulla erit hujuſcemodi vox; dividendæ ſunt, & ſequenti vocali tot attribuendæ, quot invenies alicujus vocis initio convenire: ſic ſcribitur: *ar-guo*; nulla enim vox incipit per *rg*. *æ-grè*, nam plures incipiunt per *gr*. *Ul-prandus*; nam etſi nulla vox incipit per *lpr*; plures tamen ſunt, quæ inchoantur per *pr*.

Utrùm verò hæ conjunctiones: *bs*, *gm*, *gd*, in medio dictionis ſejungendæ ſint, ſub judice adhuc lis eſt. Tu, ut volueris, ſcribe. Reprehendendi itaque non ſunt, qui ſic ſcribunt: [ A-bſinthium, A-gmen, Sti-gma, Fle-gma, Ma-gdalena.]

IN-

Digitized by Google

# INSTITUTIO V.

## *De Singulis Orationum Generibus.*

ET ſi hactenus dicta ſatis ſunt ad quamcumque contexendam peculiarem Orationem; tamen, quò res ſit adoleſcentibus expeditior, juvat de ſingulis orationum generibus agere juxta triplex dicendi genus. Ne actum tamen agam, ea hìc non dicam, quæ orationibus omnibus ſunt communia; ſed quæ earum ſingulis peculiaria ſunt: quod cùm præſtitero, dicam aliquid de Elogio, de Dialogo, de Hiſtoria; ne quid omittam, quod ad ſolutam orationem pertineat.

### CAPUT I.

### De Genere Exornativo.

### ARTICULUS I.

#### *Nonnulla, quæ huic generi propria ſunt.*

FInis Exornativi generis eſt, excitare auditores ad gaudium, ad deſiderium, ſed ad æmulationem præſertim virtutis, & fugam vitii. Hos itaque affectus conetur præcipuè elicere, qui in hoc genere orationem habet.

Ma-

Materia verò generis hujus admodum eſt ampla: ea enim omnia, quæ cum virtute, ſive cum vitiis conjuncta ſunt, poſſunt ad hoc genus pertinere: nam ea laudari, hæc verò vituperari poſſunt.

Stylus ſit oportet medius, ornatus maximè, & eloquentiæ venuſtatibus omnibus redundans: quare & verborum numero ſuaviter fluentium, & figurarum, quæ ad delectandum pertinent, luminibus abundet.

Ad hoc genus pertinent: Panegyricus, Præfatio, Genethliacum, Epithalamium, Gratulatio, Gratiarum Actio, Inauguratio, & Oratio funebris.

## ARTICULUS II.

### *De Panegyrico.*

PAnegyricus eſt: [ Oratio in laudem perſonæ, vel rei alicujus, inſtituta ad hoc, ut apud auditores rei ejus grandeſcat opinio. ]

*Narratio* pars eſt orationis hujus potiſſima, in qua duo obſervare oportet: I. Qui ordo in laudatione ſervandus ſit. II. Qua arte tractari debeat.

*Ordo in laudatione ſervandus.*

Ordo alter eſt rerum, alter temporum.

Ordo *rerum* eſt, cùm nulla habita temporum ratione, certa quædam capita conſtituimus, ad quæ omnia laudatu digna revocentur. Cic. *pro Lege Man.* Laudes Pompeji revocat ad hæc capita; ad

ad Scientiam rei militaris, ad Virtutem, ad Auctoritatem, ad Felicitatem. Ordo iſte plus habet ingenii, & oblectationis; & recentioribus maximè in uſu eſt.

Ordo *temporum* eſt, quo temporum ſeriem ſervamus in expoſitione factorum. Hic ordo veteribus maximè familiaris, facilis eſt; ſed facilè etiam langueſcit; niſi & crebris verborum, & figurarum ornamentis, & acutis ſententiis excitetur. Hunc temporum ordinem in laudatione perſonarum uſurpamus: de his verò tria tempora conſiderari poſſunt, I. quod vitam anteceſſit, II. tempus vitæ, III. quod mortem ſubſequutum eſt.

Tempus, *quod vitam anteceſſit*, tria laudanda proponit: I. Patriam; ſi illuſtris ea ſit, ſi viros inſignes genuit, ſi decore alio nobilitetur. II. Auguria; ſi quid ſcilicet anteceſſit, quod hominis futurum ingenium, virtutes, magnitudinem indicaret. III. Genus; ſi videlicet Majores ſortitus ſit illuſtres, & rebus geſtis maximè celebres: Majorum enim virtus facilè in poſteros unà cum ſanguine derivatur. Quòd ſi qui laudatur, obſcuro genere natus eſt; id ipſum erit ipſi vertendum laudi; quòd granditatem ſuam non a majoribus emendicaverit; ſed ipſe ſibi ſuis artibus conquiſiverit: quæ profectò cenſenda eſt major laus. Sic Iphicrates quidam Athenienſium Dux, humilis genere, nobiliſſimo cuidam, ſed a Majoribus ſuis degeneri, qui ipſum ex ignobilitate carpebat, fertur ingenioſè reſpondiſſe: [ Genus meum a me incipit; tuum in te deſinit. ]

Tem-

Tempus *vitæ*, in quo ſiſtit præcipuè oratio iſta, tria etiam laudanda exhibet; bona ſcilicet Fortunæ, bona Corporis, bona Animi. *Bona Fortunæ* ſunt Educatio per aptos inſtitutores, qui moribus optimis hominem informaverint; Amici, quibus non niſi probatis uſus ſit; Divitiæ, quas bonis artibus partas, ad uſum vitæ, non ad delicias impenderit; Dignitates, a quibus quæſitus fuerit, non quæſierit. *Bona corporis* ſunt Formæ dignitas, quæ parem non raro indicat animi venuſtatem; Robur, & Firmitas corporis, quæ magno ſunt præſidio ad optima quæquæ gerenda. *Bona animi*, in quibus denique ſita eſt vera laus, ſunt Virtutes: ut Pietas, Liberalitas, Clementia, Fortitudo, &c. Scientia, vel Ars, cui operam dederit; ut Theologia, Legum peritia, Rhetorica, Ars militaris, &c. præterea Ingenium acre, Memoria tenax, eaq; omnia, quæ ad Scientiam, aut ad Artem pertinent.

Tempus, *quod mortem ſubſequitur*, hæc complectitur: I. Cauſam mortis; ut ſi quis pro tuenda Religione, vel pro patria defendenda, vel amore ſapientiæ ſibi comparandæ, vel aſſequendæ virtutis alicujus occubuerit. II. Mortis rationem; ſi ſcilicet piè, fortiterque mortuus ſit; quæ dederit ſalutaria monita; quid poſtremo eo tempore egerit, quidve dixerit. III. Funebrem pompam, mœrorem civium, & populorum, miracula, ſiqua edidit; &c.

*De Laudatione rerum expertium rationis.*

In his laudandis rebus ordo rerum, non tempo-

rum

rum locum habet. Hujuſcemodi verò res multæ ſunt: I. Virtutes, vel inſignia facinora. II. Loci: ut Regna, Urbes, Portus. III. Tempora: ut Ver, Autumnus, Dies, &c. IV. Animantia expertia ratione: ut Aquila, Leo, &c. V. Denique res omnes inanimatæ, ſi tamen vitium demas; quo excepto, nihil eſt, cui non inſit boni aliquid, quod laudatio proſequatur. Neque verò defuere, qui ad periclitandas vires ingenii, laudationem inſtituerunt rerum etiam, quæ aut contemptibiles ſunt; ut Muſca, Formica, &c. aut etiam noxiæ, ut Tuſſis, Febris, &c. Sed de Virtutis, Scientiæ, & Urbium laudatione, quæ ſolet eſſe frequentior, dicam aliquid.

Virtus, & Scientia ab his capitibus laudari poſſunt: I. a *Dignitate*, *Origine*, *Definitione*, vel *Objecto*, quod reſpiciunt. II. ab *Utilitate*, quam commoda, delectationes, ornamenta, honoris gradus, exiſtimatio comprobant, quæ ab ea virtute capiuntur. III. a *Neceſſitate*: infertur hæc ex incommodis, aut ex vitiis, quæ virtutis ejus defectus parit. IV, a *Comparatione* propoſitæ virtutis cum reliquis inferioribus, quæ ad illam præ cæteris efferendam inſtituatur.

Urbes verò ex his capitibus commendantur: I. ab *Antiquitate*, quæ plurimùm hac in re valet: II. a *Conditoribus*, a tempore, vel occaſione, qua eam illi condidere. III. ab *Ædificiis*; ubi templa laudari poſſunt, palatia, arces, mœnia, pontes, theatra, porticus, gymnaſia, plateæ, ſigna, &c. IV. a *Situ*; quò pertinent ſalubritas aëris, muro-

rorum ambitus, agrorum fertilitas, & amœnitas, portus, maria, flumina, &c. V. ab *Incolis*, qui laudari poſſunt a frequentia, moribus, virtute, pietate, robore, ingenio, induſtriâ, artibus, &c. VI. a *Regimine* urbis, quòd optimas leges, optimos magiſtratus habeat.

*Qua arte tractari Panegyricus debeat.*

Panegyricum qui condit, hæc ſervet.

I. Rerum narrandarum delectum habeat: non enim quæq; minima perſequi debet, ſed quæ digna narratu ſunt: in his verò narratio omnino conſiſtat: in nullo enim orationis genere liberior eſt narratio, quàm in iſto.

II. In ſingulis rebus, quæ narrantur, duo conſideranda veniunt: Factum ipſum; & facti ponderatio. Factum more ferè hiſtorico breviter exponitur; facti verò ponderatio oratoria fæcunditate liberiùs protrahitur in longum, rei circumſtantias ſubtiliter expendendo, ea arte, quam in amplificatione jam docui.

III. A fictis laudibus omnino abſtineat Orator: eæ namque ſplendorem orationi non accreſcunt; ſed adimunt veris laudibus fidem. Scopulum hunc ut vitet, non omnia laudum capita, quæ recenſuimus, percurrat oportet; ſed multa diſſimulet; ne veritati noceat, aut brevitati.

IV. Laudes, quæ proponuntur, ne communes ſint, & quæ cum aliis communicari facilè poſſint: quare quæ propria Perſonæ ſunt, ea accuratiùs perſequatur Orator: cætera vel omittat, vel breviùs expediat.

AR-

Digitized by Google

## ARTICULUS III.

### *De Præfatione.*

PRæfatio eſt: [ Brevis quædam oratio, quæ litterariis exercitationibus præmitti ſolet. ] Triplex eſſe poteſt: Didaſcalica, Diſputatoria, & quæ libris præſtituitur.

Didaſcalica præfatio habetur a Ludimagiſtris, cùm Auctorem aliquem ſuſcipiunt exponendum; vel cùm primùm gymnaſii provinciam aſſumunt. Si exponendus eſt Auctor; oratio in ejus Auctoris commendatione ſiſtat, & a Panegyrico mutuetur artificium: Quòd ſi ſcholæ ſuſceptæ præmittitur; nullis certis limitibus circumſcriptam materiam habet; ſed per res quaſcumque vagari poteſt: dummodo ſcholæ illi, cui impoſitus eſt, rem aptet Orator. Sic poterit deſumi I. a rei alicujus deſcriptione; ut ſunt ludi, ſpectacula, horti, venationes, itinera, & ſimilia. II. a problemate, vel dubio aliquo, quod proferatur in medium: ſic appoſitè ad ſcholam Grammaticæ quæreres: quare Græci a verbo, Τύπτω, ideſt verbero, Latini verò ab *Amo* initium ſumunt in docendo? III. a comparatione, quæ inſtituatur inter Auctores; e. g. inter Virgilium, & Homerum; Ciceronem, atque Demoſthenem; vel inter facultates ipſas, ut inter Rhetoricam, atque Dialecticam. IV. ab aliqua fabula, hiſtoria, ſomnio, quod ad rem faciat. V. a re aliqua, quæ tunc fiat; vel nuper in urbe acciderit.

Diſputatoria Præfatio eſt, quæ ſcholaſticis diſputationibus Theologiæ, ſive Philoſophiæ, vel alterius cujuſpiam facultatis præmittitur. Hæc quæſtionem ex propugnandis aliquam pertractat; non autem philoſophico ſtylo, ſed oratorio.

Quæ libris præſtituitur, eſt, qua lectorem monemus de re ea, de qua agimus in libro; cur materiam illam tractandam ſeligimus; quid ex ea utilitatis ſperamus: methodum etiam, atque ſtylum operis edocemus; & Lectorem hortamur ad librum non illibenter volutandum.

Harum Præfationum ſtylus (ſi tertiam demas, quæ graviorem amat dicendi rationem, ſtylumque mediocrem) tenuis ſit oportet; venuſtus tamen, & amœnitatibus lepidus. Deſcriptiones, eruditiones, fabellas, proverbia admittit; Plautina etiam aliquando verba, vel Enniana, quæ ad venuſtatem faciunt. Demum hiſtorico, vel etiam comico ſtylo ſcribatur potiùs, quàm oratorio.

## ARTICULUS IV.

### *De Genethliaco.*

GEnethliaca Oratio eſt, [qua natalem diem hominis alicujus celebramus.]

*Exordium* orationi huic dent verba plena gratulationis, & lætitiæ, quæ vel communem omnium plauſum explicent, vel vota, preceſque ad prolem obtinendam inſtitutas. Vel ducatur exordium ab aliqua loci, temporis, vel perſonæ circumſtantia.



Digitized by Google

*Confirmatio* adjuncta omnia expendat. Ea verò vel ortum præceſſere, vel comitantur, vel etiam ſubſequuntur. Quæ præceſſere, ſunt oracula, ſomnia, vota omnium, ſupplicationeſque pro prole. Quæ comitantur, ſunt Parentes, & Proles ipſa. Parentum, vel etiam Majorum texenda laus, quæ jure quodam hæreditario in prolem etiam derivatur. De Prole ſpes concipienda, quòd in omnes Majorum virtutes veniet: id vel ex genere ipſo inferes, quod hujuſcemodi homines gignere conſueverit, vel optima futura educatione, vel ex victoriis, ſignis, prodigiis, aliâve circumſtantiâ, quæ pueri ortum illuſtravit. Adjuncta demum, quæ ſubſequuntur, ſunt publicæ lætitiæ ſigna, populorum gratulationes, ludorum, aut ſpectaculorum apparatus in argumentum lætitiæ, &c.

*Peroratio* vota contineat pro pueri incolumitate, & ut ad eos honores perveniat, quibus eum natura etiam ipſa deſtinavit.

## ARTICULUS V.

### *De Epithalamio.*

EPithalamium eſt [ Oratio ad celebrandas alicujus nuptias inſtituta. ]

*Exordium* vel ex iis fontibus deducatur, unde & Genethliaca oratio deſumit ſuum; vel a laudibus nuptiarum; per quas & propagatur genus humanum, & mutua hominum, atque familiarum

fo-

Digitized by Google

fovetur benevolentia, & vitæ incommoda ſocietatis præſidio relevantur.

*Confirmatio* Sponſi, & Sponſæ laudes proſequatur a genere, a fortunis, a virtutibus, quæ quàm bene convenerint, ſatis probent. Nuptiarum etiam celebritatem laudare poterit.

*Peroratio* gratulationes contineat, auguria, & vota Deo nuncupanda pro mutua conjugum concordia, & pro felici ſuſceptione liberorum.

## ARTICULUS VI.

### *De Gratulatione.*

GRatulatio eſt [ Oratio, qua alicui ſuſceptum aliquod bonum gratulamur. ]

*Exordium* ducat a communi lætitia, vel ab aliqua rei circumſtantia. Ubi verò rei granditas patitur, optimum erit exordium, ſi ex abrupto fiet.

*Confirmatio* rem, cujus gratiâ gratulamur, exaggeret, & amplificet. Sic ſi partam victoriam alicui gratularis; exponi poterit belli difficultas, populorum pericula, Imperatoris alacritas in bello ſuſcipiendo, prudentia in adminiſtrando, in conficiendo celeritas: victoriæ demum utilitas expendenda. Si verò gratularis conſecutam dignitatem; exaggera ejus dignitatis amplitudinem, ad quam non caſu, non precibus, non muneribus eum perveniſſe dices; ſed ſingulari virtute, maximiſque in Remp. meritis, quæ poteris per-



Digitized by Google

cenſere. Si demum recuperatam gratularis valetudinem; præſens omnium lætitia, præteritus verò mœror exaggeretur: quanti ejus vita, atque ſalus facienda ſit, ex ampliſſimis hominis meritis oſtendatur.

*Peroratio* vota contineat pro adepti boni diuturnitate, ac incremento, tantique hominis incolumitate.

## ARTICULUS VII.

### *De Gratiarum Actione.*

GRatiarum actio, quæ & Euchariſtica oratio dicitur; eſt, [ per quam alicui de accepto beneficio gratias agimus. ]

*Exordium* præbeat vel aperta, candidaque grati animi ſignificatio, vel commendatio munificentiæ, vel propriæ lætitiæ ſignificatio, vel alia circumſtantia quæcumque.

*Confirmatio* in amplificanda beneficii magnitudine conſiſtat. Quatuor capita ad hanc magnitudinem faciunt I. Beneficium ipſum a ſe re vera magnum. II. Perſonæ, quæ illud contulit, dignitas, & amplitudo. III. Perſona, cui collatum eſt, tenuis, egens, & immerens. IV. Conferendi modus; quòd non ægrè, quòd non rogatus, quòd citò contulerit.

*Peroratio* polliceatur æternam beneficii memoriam.


Digitized by Google

## ARTICULUS VIII.

### *De Inauguratione.*

INauguratio eſt: [ Oratio, quæ celebrari ſolet, cùm quis in Regem ungitur, aut creatur; vel cum Magiſtratus aliquis inſtituitur. ]

*Exordium* ducitur vel a rei circumſtantiis, vel a Perſona, cujus gratiâ dicimus, vel a totius Regni, Urbis, Academiæ plauſu, feſtiviſque acclamationibus.

*Confirmatio* contineat hæc capita: I. Perſonæ illius virtutes, ac merita commendet. II. Dignitatis ejus amplitudinem, & majeſtatem exaggeret. III. ritus ſingulos inaugurationis, atque inſignia, ſiqua tunc adhibentur, explicet: ut ſunt in regia inauguratione corona, ſceptrum, purpura, gladius, &c. quæ omnia in ejus perſonæ laudem derivanda ſunt. IV. Pompam, atque apparatum omnem ejus celebritatis deſcribat.

*Peroratio* tota ſit in votis pro diuturna Regis, ſive ejus Magiſtratûs felicitate; tum etiam in gratulationibus tum inaugurato ipſi, tum populis, ſive urbibus.

Hoc idem artificium poſtulat Oratio, quam in Academiis exaudimus, cùm quis Doctoris laureâ donatur.



Digitized by Google

## ARTICULUS IX.

### *De Oratione funebri*.

FUnebris oratio eſt, [ quia defuncti hominis laudes proſequimur, ] ſive in ipſo funere; ſive quotannis; ubi parentalia inſtaurantur.

*Exordium* magnam doloris, atque triſtitiæ ſignificationem præſeferat. Abruptum laudatur præ cæteris in hoc genere: poterit tamen duci vel a mœſtitia, ſilentioque audientium, vel a funebri pompa, mœſtoque apparatu, quem cernimus, vel ab adjunctis, quæ hominis mortem circumſtetere, aut præceſſere, vel demum a gravi aliqua exclamatione, doloris ſignificatione, figura, &c.

*Confirmatio* hæc duo præſtet: I. Laudes mortui proſequatur juxta artificium Panegyrici; ita tamen, ut non audientium oblectationi inſerviat, ſed mœrori. II. Conetur propinquorum, & amicorum ſolari dolorem, vel ex eo, quòd nomen ſibi comparaverit, nunquam interiturum; vel ex eo, quòd filios ſuperſtites reliquerit hæredes paternæ virtutis; vel ex eo, quòd conjectari liceat, æterna illum beatitate inter Superos perfrui.

*Peroratio* æternam felicitatem apprecetur mortuo: ejus deſiderium in auditorum animis excitet; illoſque ad æmulationem tantæ virtutis provocare conetur.

CA-

# CAPUT II.

## De Genere Judiciali.

### ARTICULUS I.

*Nonnulla, quæ huic generi propria ſunt.*

GEnus hoc Judiciale dicitur, quòd in judiciis, cauſiſque forenſibus verſatur. Et quamvis antiqua contentionis forenſis ratio ab hodierna non nihil diſcrepat; multa tamen hìc edocebo, quæ decerpta ex veteri, noſtri etiam fori rationem adjuvent.

Finis hujus generis eſt, ut damnetur reus, vel abſolvatur: quare eos affectus in auditoribus orator cieat, qui ad finem hunc conducunt; ut ſunt Commiſeratio, Manſuetudo, & Amor, cùm defendimus: cùm verò accuſamus, Ira, Odium, & Triſtitia.

Materia verò eſt quidquid in accuſationibus, vel defenſionibus cadere poteſt in controverſiam. Hæc autem materia in triplici ſtatu cauſæ conſiderari poteſt: in Statu Conjecturali, in Statu Definitionis, in Statu Qualitatis.

Status *Conjecturalis* eſt, cùm quærimus, an res ſit; cùm ſcilicet factum alter affirmat, alter negat. Cicero e. g. Verris accuſator affirmat: [ Verres in gerenda prætura furatus eſt. ] Hortenſius verò Verris defenſor negat: [ Verres in prætura non eſt furatus. ]



Digitized by Google

Status *Definitionis* eſt, cùm uterque factum affirmat; diſcrepat tamen in circumſtantiis facti: Cic. [Verres furatus eſt, ut ſuæ voracitati faceret ſatis.] Hortenſius: [Furatus eſt Verres, ut romani exercitus ſubveniret inopiæ.]

Status *Qualitatis* eſt, cùm neque de facto, neque de facti circumſtantiis ambigitur: alter tamen contendit, adhuc reum non eſſe inde damnandum, alter verò affirmat damnandum eſſe: Cic. [Verres furatus eſt, ut ſuæ voracitati faceret ſatis: ergo eſt damnandus.] Hortenſius: [Verres furatus eſt voracitatis gratiâ; ejus tamen gloria militaris eam notam delet: damnandus ergo non eſt.]

Quinque omnes orationum partes in orationibus judicialis generis ſemper ſunt: nunquam enim hìc omittitur facti Narratio, aut Confutatio, quæ in aliis generibus omittuntur aliquando. Stylus verò ſit ſublimis, vehemens, & ad concitandos animos maximè accomodatus. Ornamenta eloquentiæ, quæ ad oblectationem faciunt, tunc adhibet, cùm conducunt ad affectuum commotionem.

Huic generi Orationes duæ potiſſimùm tribuuntur: Accuſatio, & Defenſio; ad quas commodè reducuntur cæteræ.

## ARTICULUS II.

### *De Accuſatione.*

Accuſatio eſt [Oratio, qua apud Judicem crimen deferimus.] Gravis ea eſſe debet,

Vera,

Vera, & Honeſta. *Gravis*, ne quid inſectetur nullius momenti. *Vera*, ne commentitium aliquid proferat. *Honeſta*, ne alio, quàm juſtitiæ amore, atque odio improbitatis accuſator duci videatur: modeſtè itaque rem tractet; & de re dicat potiùs, quàm de homine.

*Exordium* ducetur vel a circumſtantia aliqua loci, fori, aut temporis; vel a perſona dicentis, judicum, adverſariorum, aut auditorum; vel a deteſtatione ejus facinoris, contra quod dicimus.

*Narratio* ſit potiſſimùm perſpicua, atque probabilis; quæ crimen adverſarii ſubjiciat omnino oculis, facti circumſtantias deſignet, cauſas, effectus, præſidia adnotet, minutim omnia percurrat; motus præterea graviores animi excitet; exclamationes, objurgationes, commonitiones in promptu habeat: ita demum rem exponat, ut ſola facti narratione atrocitas, atque veritas criminis dignoſcatur. Milonianam narrationem præ oculis habeto.

*Confirmatio* non eadem eſt, cùm plura inſectamur crimina, quàm cùm unum. Si plura ſunt, apta narratione magis, quàm confirmatione opus eſt, ut patet in Verrinis: juvat tamen teſtes, aut tabulas, vel aliam probationem in ſingulis criminibus, in iis præſertim, quæ atrociora ſunt, proferre: tunc verò aut temporum ordo in exponendis criminibus eſt ſervandus; aut certè in principio, & fine graviora collocentur. Quòd ſi crimen unum oratio inſequitur; in eo ſiſtat Confirmatio, ut criminis illius veritatem, & gravi-



Digitized by Google

tatem aperiat. Criminis Veritatem probant non modò argumenta à locis extrinſecis deſumpta, præſertim Teſtimonia, & Tabulæ; ſed etiam ab intrinſecis: ſic e. g. Homicidium probare potes à Cauſis, quæ eſſent ſpes magna boni, metus mali, odium vetus, ira recens, ulciſcendi libido, &c. vel à Signis, ut à minis, atque jurgiis, quæ præceſſerint, clamore exaudito, fugâ, vel pallore hominis, telo apud ipſum deprehenſo, &c. vel à Perſona, ſi is homo iracundus ſit, crudelis, audax, &c. vel ab opportunitate loci, temporis, &c. Criminis verò Gravitas circumſtantias exponendo, atque amplificando, demonſtratur.

*Confutatio* fiat, ut Cic. *in Verr.* per Occupationem, quæ ea prævertat, quibus adverſarius poſſet ſe crimine vindicare; juxta ea, quæ de Confutatione dicta ſunt ſuo loco.

*Peroratio* vehemens ſit quàm maximè, & Judices ad pœnam expetendam impellat: Iram excitet potiſſimùm, & Indignationem. Egregium Accuſationis exemplum habes apud Ciceronem *in Verrinis*, & apud *Liv. Dec. IV. L. X.* ubi Perſeus Demetrium fratrem parricidii accerſit.

## ARTICULUS III.

### *De Defenſione.*

DEfenſio, ſive Apologia eſt: [Oratio, qua objectum crimen diluimus.] Eſt autem vel Facti, vel Juris. *Facti*, cùm factum, negamus,

mus, eſſe, quod obiicitur. *Juris*, cùm factum non negamus; ſed jurè factum eſſe contendimus.

*Exordium* ex iiſdem fontibus hauries, unde Accuſatio deſumit ſuum.

*Narratio* factum exponit, ſed iis coloribus, qui crimen elevent, vel nullum eſſe probent. In reliquis narrationis accuſatoriæ ſequatur artificium.

*Confirmatio* in hac Oratione non habet neceſſariò locum; cùm ad refellendam accuſationem ſatis ſit diluere ea, quæ objecerat adverſarius. Cæterùm ſi quas habes rationes, quæ tuam prætereà cauſam confirment, producito; atque eo ordine, quem docuimus ſuo loco, diſponito.

*Confutatio* pars eſt potiſſima Orationis hujus, in qua rationibus adverſarii reſpondemus. Hæc ſingulas interdum diſcutit accuſationis partes, & ſingulis reſpondet: aliquando præcipua ſolùm accuſationis capita aſſumit impugnanda; quæ ſi concidant, reliqua per ſe corruunt. Nonnunquam tamen non rationes modò ſingulas, ſed & ſententias, & verba ipſa adverſarii commemorat, diſcutit, oppugnat, contemnit, irridet, & in ipſum etiam detorquet adverſarium. Vide quæ dicta ſunt, ubi de Confutatione.

*Peroratio* potiora colligit argumenta, perſonæ merita exaggerat, quam defendit, ad Judicum miſericordiam confugit, & preces adhibet. Miloniana Oratio abſolutiſſimum eſt Defenſionis exemplar. Habes & apud *Liv. Dec: IV. L. X.* Defenſionem Demetrii, quem fecerant parricidii reum.

CA-

# CAPUT III.

## De Genere Deliberativo.

### ARTICULUS I.

#### *Nonnulla, quæ hujus generis peculiaria ſunt.*

GEneris Deliberativi materia eſt res quæcumque factu poſſibilis, de qua quæri poteſt fieri debeat, nec ne? Finis verò eſt ſuadere, aut diſſuadere aliquid.

Argumenta, quæ huic generi potiſſimùm inſerviunt, ducuntur ab Honeſto, Utili, Neceſſario, Facili, atque Jucundo: in Diſſuaſionibus verò a capitibus contrariis eruuntur.

*Honeſtum* eſt, quidquid cum virtute conſentit. Virtus verò eſt: [Animi habitudo laudabiles eos efficiens, quibus ineſt:] ut Pietas, Juſtitia, Temperantia &c.

*Utile* eſt, quod propter commodum expetitur: ejus verò duæ ſunt partes Incolumitas, atque Felicitas: per illam expedimur malis; per hanc bonis augemur.

*Neceſſarium* eſt, ſine quo certum eſt, ſalutem, aut dignitatem noſtram non poſſe conſiſtere. Ex hoc loco deducta argumenta validiſſima ſunt.

*Facile* eſt, quod ſine magno ſumptu, aut moleſtia exequi poſſumus.

*Ju-*

Digitized by Google

*Jucundum* eſt, quod honeſtam habet voluptatem.

Præterea in hoc genere tria hæc velis obſervata. Primum eſt, ut odoreris, ac penitus internoſcas eorum animos, & ingenia, quibus velis aliquid ſuadere; juxta ea, quæ dicta ſunt, cùm egimus de tractandis animi affectibus. Alterum eſt, ut artificii ſuſpicio quæcumque arceatur ab hoc dicendi genere, ne videamur velle nos homini inſidiari. Tertium eſt, ut exemplis utamur, cùm poſſumus: ea enim animos maximè feriunt, præſertim multitudinis.

Narratio Cauſæ in hoc Genere locum non habet; futura enim, & contingentia enarrari non poſſunt: cæteræ verò partes orationis omnes habeantur.

Stylus ſublimis ſit, crebris ſententiis, firmiſque rationibus conſtans: quæ verò pertinent ad nimium ornatum, negligit omnia: nimius enim ornatus avertit animos a rationibus percipiendis, atque habetur pro dolo.

Affectus excitandi in auditoribus, cùm ſuades, ſunt Spes, Deſiderium, & Audacia: cùm verò diſſuades, Fuga, Timor, & Deſperatio.

Orationes, quæ in hoc genere continentur, ſunt Suaſio, Diſſuaſio, Commendatio, Petitio, Conſolatio. De poſtremis hiſce tribus nihil dicam; cùm ſatis ſint ea, quæ docuimus de Epiſtola Commendatoria, Petitoria, atque Conſolatoria: habes enim ibi capita aliquot, quæ ſi oratoriè tractaveris, facilè paraveris ſatis amplam orationem.

AR-

## ARTICULUS II.

### *De Suaſione, & Diſſuaſione.*

SUaſio eſt: [Oratio, qua alios ad aliquid faciendum impellimus.] Diſſuaſio contrà, [qua a re aliqua facienda quempiam abſterremus.] Orationes has ſimul tracto; quòd idem eſt earum artificium.

*Exordium* deſumatur vel a rebus ipſis, de quibus eſt deliberandum, vel ab ipſarum adjunctis, vel a perſonis, quarum eſt deliberare, vel a loci, aut temporis circumſtantiis, vel ab ejus perſona, qui primus ſententiam rogatus noſtræ contrariam dixit.

*Propoſitio* ſententiam noſtram apertè, modeſtèque proponat.

*Confirmatio* ex capitibus propoſitis *Art. I.* argumenta deſumat: ſic militi e. g. ut fortiter pro patria dimicet, ſuadere poteris ab Honeſto; quòd honeſtum ſit pugnare pro patria: ab Utili; quòd ſe, ſuoſque præſenti periculo liberaverit: a Neceſſario; quòd ni vicerit, victus occubuerit: a Facili; quòd adversùs imbelles hoſtes res ſit: a Jucundo; quòd nihil eſt jucundiùs, quam viciſſe. Quòd de milite ad pugnam excitando dixi, de quavis alia re commodè etiam dici poteſt: nulla enim eſt adeo ſterilis, quæ ſi boni rationem habeat, ſub his reſpectibus conſiderata, plura argumenta ad ſui proſecutionem non ſufficiat.

*Con-*

Digitized by Google

*Confutatio* quidquid contra noſtram ſententiam aut dixerit, aut dicere aliquis poterit, id omne reſolvat, juxta Confutationis leges.

*Peroratio* vehementem contineat orationem, quæ auditorem impellat, ut velit, & audeat id facere, quod facto opus eſt: quare ſpei, fiduciæ, amoris, deſiderii excitet affectus in Suaſionibus; in Diſſuaſionibus verò contrarios. Suaſoriam orationem habet Cic. *pro Lege Man.* & *apud Liv. Dec: III. L. I.* Orator ex Annibalis exercitu ad Senatum. Diſſuaſoriam verò apud eundem *l. VIII.* Q. Fabius Maximus ad Romanos.

## CAPUT IV.

### *De Elogio, Dialogo, & Hiſtoria.*

TRia hæc in hoc poſtremum Caput ſecretum ab aliis rejeci; quòd, etſi ſoluta oratione ſcribantur, ad Oratorem tamen non pertinent; neque ſtylo oratorio componuntur.

## ARTICULUS I.

### *De Elogio.*

ELogium eſt: [ Illuſtris alicujus perſonæ, vel facti brevis laudatio. ] Triplex autem eſt; Oratorium, Hiſtoricum, & Lapidare. Primum eſt, quo aliquem ſtylo oratorio commendamus: hoc ad orationes pertinet exornativi generis, de qui-

Digitized by Google

quibus ſatis dictum eſt ſuo loco. Alterum, cùm, ſtylo narrationi, aut hiſtoriæ accomodato, alicujus decora recenſemus: de hoc in hiſtoria mox dicendum. Tertium, quod difficillimum eſt omnium, & noſtra hac ætate ſatis in uſu, eſt, [Brevis alicujus perſonæ, vel facti commendatio, quæ inciſim expoſita, atque frequentibus argutiis, ſententiiſque contexta, lapidibus inciditur, vel inciſa exiſtimatur, ] De hoc Lapidaris Elogii genere, quod Elogium per antonomaſiam vocari conſuevit, quatuor inveſtigabo. I. Generale ejus artificium. II. Unde ejus argutiæ erui debeant. III. Quænam ſit ejus tota diſpoſitio. IV. Quænam ejus eſſe oporteat elocutio.

*Elogii generale artificium.*

Ad conſcribenda hujuſcemodi elogia, maximè & acuto, & acri, & abundanti ingenio opus eſt; quo qui præditus fuerit, hiſce legibus artis dirigetur.

I. Nihil ſit in elogio, quod ad excitandam legentium admirationem non pertineat, ſalibus, & argutiis. Quare narrationes ipſæ, ſi quando in elogio occurrunt, ſine ſalibus, ſine ingenio proponendæ non ſunt. Quod ne cui impoſſibile, aut certè difficillimum eſſe videatur; adverte, nomine argutiæ venire hîc, quidquid legenti ex improviſo obveniens, ejuſdem animum in ſui admirationem rapit. Quare quidquid ſapit ingenium, quodcumque id demum ſit, argutia apta elogiis cenſetur.

II. Brevitas accuratè ſervanda eſt, non modò

elo-

elogii totius, ſed & ſingularum ejus partium, & membrorum: quæ itaque paucioribus dici poſſunt, ne dicantur pluribus; debet enim elogium plura legenti cogitanda proponere, quàm legenda.

III. Artis eſt in Elogio negligentiam aliquam ſimulare, ut potiùs ex ingenii felicitate, quàm ex improbo labore ortum eſſe videatur. Hinc reſpuit oratorias prolixitates, turgidas locutiones, ornamenta eloquentiæ profuſiora: nihil periodos circumductas, aut perpolitas curat, nihil tranſitionum nexus: particulas quoque ipſas conjunctivas negligit frequenter, ſolis argutiis, & laconiſmo contentum.

IV. Obſcuritas, quæ tot inter argutias facilè illabitur, accuratè vitanda eſt: ut enim ad crebras argutias percipiendas intendere animum non leviter oportet; ſic improbus eſſet labor, ſi obſcuritatis vitio, novus attentionis cumulus accedere oporteret. Stat cum claritate ſublimitas, Solis inſtar. Senſus itaque ingenio plenus primo aſpectu quæri ſe, altero inveniri patiatur.

*Unde eruendæ ſint Elogii argutiæ.*

Quid hîc nomine argutiæ veniat, jam explicui: hæ verò argutiæ ſunt ex iiſdem fontibus eruendæ, e quibus ad Epigramma conficiendum erui oportere ſuo loco fuſiùs edocebo: quare ea conſule, quæ *Lib. II. Inſt. II. Cap. I.* dico de inveniendis argutiis Epigrammatis. Sed quoniam contexendo elogio uſus argutiarum eſt quàm maximè neceſſarius; juvat hìc etiam Capita argutiarum

Q in-

inveſtigare; ſed breviter omnino, atque ſummatim.

Quatuor ſunt præcipua argutiarum Capita, Repugnantium videlicet, Alienatorum, Comparatorum, & Alluſionum, ad quas Sententiæ referuntur.

Repugnantia ſunt, quæ ſimul in eodem ſubjecto eſſe non poſſunt: ut Mors, & Vita; Amor, & Odium; Firma, & Infirma valetudo. Hæc ſi ita conciliata oſtendantur inter ſe, ut in eodem ſubjecto ſimul conſtiterint; argutia proponetur apta legentium animis in ſui admirationem rapiendis. Exemplo clarior fiat uſus iſte repugnantium in elogiis.

D. Paulus ſeſe ad Deum convertens.
Elogium a Repugnantibus.

*Intuere, viator,*
*Eccleſiæ Columnam in ruina erectam;*
*Saulum olim, nunc Paulum;*
*Lupum, & Agnum;*
*Chriſtiani nominis hoſtem, & defenſorem.*
*Cæcus is erat, cùm videret;*
*Cùm cæcus eſſe cæpit, cæpit videre.*
*Viſum, quem, luce affulgente, perdiderat,*
*Recepit in tenebris.*
*Præceps actus eſt in via,*
*Qui aberrabat a via.*
*Nemo unquam graviore manu percuſſus cecidit,*
*Aut fortiore ſurrexit. &c.*

Alienata ſunt, quæ etſi a rebus, perſonis, loco, cauſis, legibus, conſuetudinibus, cæteriſque rei

rei circumſtantiis aliena ſunt; rei tamen addicimus, ut propria; vel quæ propria ſunt, alienamus: ut ſi diceres flevilſe aliquem in nuptiis; in morte verò riſiſſe; vel medicum nulli ſanitatem dediſſe; regem ſine regno eſſe. Sit pro exemplo hoc elogium.

S. Petrus inter vincula cuſtodes carceris
fide Chriſti imbuit.
Elogium ab Alienatis.

*Vinctus*
*Nec in carcere libertatem amiſerat Petrus:*
*Nec inter dolores gaudia.*
*Militibus pro Vigiliis adſtantibus*
*Vigilantior ipſe adſtitit,*
*Cùm Fidem illos docuit, ſuæ ipſe cuſtodiæ cuſtos.*
*Mirabantur illi ſe infideles eſſe,*
*Et captivos ante carcerem,*
*Abſolvi a vincto vinculis ſuis potuiſſe.*
*Prædicabant, inimicis indignum eſſe,*
*Et indignum morte;*
*Qui odia favore muneraretur, & mortem vitâ.*
*Suſpiciebant virum uſq; adeo negligentem ſui,*
*Et amantem hoſtium:*
*Ut propria pericula non ſentiret,*
*Dum aliena averteret.*

Comparata ea ſunt, quæ ſimul collata, ſimilia eſſe demonſtrantur, vel diſſimilia, vel etiam contraria. Comparatorum uſus eſt, cùm duo ingenioſè comparamus; vel ea, quæ ſimilia exiſtimantur, oſtendimus eſſe diſſimilia; vel contrà ſimi-



Digitized by Google

ſimilia probamus, quæ diſſimilia creduntur. Exemplum det ſequens elogium.

Lutherus ebrietatis vitio ad mortem properavit.

Elogium a Comparatis.

*Socrates hauſtâ cicutâ, Lutherus vino mortẽ bibit.*
*Vterque ſimilis,*
*Quòd ex poculo mortem hauſerit.*
*Diſſimilis,*
*Quòd hic nolens, ille volens:*
*Hic amore bibendi, ille vivendi.*
*Vterq: ſapiens eſſe voluit; neuter fuit:*
*Ille quia mori rectè, hic quòd vivere neſciret.*
*Immortalitatem uterq: meritus eſt:*
*Hic ſcelere, ille virtute;*
*Aut certè utroque uterque titulo.*
*Vter tamen chriſtianè magis vixerit incertum:*
*Cùm ille Chriſtum, quem ignoraret,*
*Sæpe moribus expreſſerit;*
*Hic, quem agnoſceret, ſæpe depreſſerit.*

Alluſiones eas dicimus, quibus ad rei nomen; vel hiſtorias, fabulas, proverbia, antiquos aut novos ritus, diſciplinam, artem, ſcientiam, controverſiam aliquam inter eruditos; vel quid ſimile ingenioſe alludimus. Exemplum hoc eſto.

De Verbi Incarnatione Elogium ab Alluſionibus.

*Menſis idem, & terris bellorum,*
*Et Cælo fœderum eſt.*
*Martio nomen Martis adimite;*
*Ex quo finem ejus*
*Noſtræ pacis initia conſecrarunt.*
*Deputentur Aprili dies,*

*Qui-*

Digitized by Google

*Quibus tam ingens facta Cœlorum aperitio eſt.*
*Ubi facta dierum, & noctium æqualitas fuit,*
*In terram uſque redundavit*
*Ex Cœli æquitate Juſtitia:*
*Ita diebus iiſdem & unus Sol in Ariete,*
*Et alius in Agno eſt.*
*Quanta potentia Fœminæ,*
*Quæ mundum ea ipſa voce refecit,*
*Qua olim eſt factus!*
*Quanta claritas,*
*Cui vel tanta lux obumbraret!*
*Prævenerat Legatum ſuum Deus:*
*Erat jam in Virgine Dominus,*
*In qua admitti Filius poſtulabat. &c.*

Huc etiam ſpectant graves ſententiæ, quarum majeſtas nunquam ſine decore procedit, nunquam ſine admiratione ſpectatur: quare, & earum uſus frequens eſt in elogiis, & argutias ipſas ſententiarum more proponere conſuevimus. Eas verò animo non ingenerat, niſi maturum in primis, ac grave ingenium, æquà rerum ponderatio, plurima eruditio, & Auctorum aſſidua lectitatio.

Quæ hactenus indicavi, ſunt Capita, ac veluti fontes argutiarum, e quibus ut argutias eruas, hac arte utitor: Conjice in brevem chartulam, velut in quædam capita, ſummatim propoſitas ejus, qui laudandus eſt, actiones, mores, munera, ornamenta, vitam, mortem, quidquid denique ad laudem pertinet: neque hæc nudè adnotato; ſed addito circumſtantias locorum, tempo-

rum, ætatis, finis, dignitatis, ſociorum, cæterorumque adjunctorum: hæc dum intenſo animo notas, dum legis, ac perlegis; fieri nequit, ut plures non occurrant argutiæ, graveſque ſententiæ, quibus materies paratur elogio.

*Elogii Diſpoſitio.*

Duplex eſt elogii diſpoſitio: altera, quam voco Intrinſecam; ſenſuum videlicet, & partium inter ſe: alteram, quam voco Extrinſecam; nempe Linearum.

Intrinſeca diſpoſitio petit, ut rerum, & argutiarum congeries in ſuum ordinem redigatur. Hac in re neque eorum nimia libertas, qui diſpoſitionem nullam requirunt; neque ſcrupuloſa eorum religio, qui partes omnes elogii Orationis inſtar metiri volunt; probatur mihi: ſed eam diſpoſitionem exigo, quam ſervant Hiſtorici; eamque nec nimiùm ſcrupuloſè.

Poterit igitur loco Exordii inſignis aliqua ſententia ſtatui, vel Propoſitio generalis, ex qua ad Perſonam, vel Actionem laudandam deſcendamus. En Exemplum ex Imagine Primi Sæculi Soc. Jeſu in Elogio Jacobi Lainez.

*Magnarum mentium, & æterna ſpectantium*
*Præceps eſt vita mortalis.*
*Segniter ardet, qui lentè conſumitur;*
*Flammæ majoris indicium eſt, citò mori.*
*Quinquaginta annorum quantulum tempus eſt?*
*Quod quaſi curſim, & uno velut impetu peregit*
*Jacobus Lainez Caſtellanus. &c.*

Elo-

Elogium quoque Petri Fabri ſic auſpicatur:

*Prodire ex humili Virtus poteſt, latere non poteſt.*
*Petrus Faber,*
*Paſtoritiis apud Allobroges natalibus oriundus,*
*Aliquantiſper & ipſe Paſtor,*
*Ipſe litterarum adhuc, & annorum rudis, &c.*

Et P. Labbè Elog: II. in Card: Julium Mazarinum per hanc ſententiam exorditur.

*Victoriarum ultima victoria eſt,*
*ſuperaſſe invidiam;*
*Primus Eminentiæ gradus eſt,*
*Facere invidiam ſui alteri;*
*Et ſuperior, ſcire invidiam pati;*
*Supremus & ultimus, eò aſcendiſſe,*
*Quò invidia nec audet ſequi, nec poteſt &c.*

Licebit etiam exordiri per gravem aliquam figuram. Sic ab Apoſtrophe incipit in eadem Imag. Primi Sæc. Elogium S. Franciſci Xaverii:

*State Heroes,*
*Animæ magnæ, & Virtutis amantes.*
*Nihil ultra aut conandum vobis, aut faciendum eſt,*
*Quando Xaverius hic jacet.*
*Fallor.*
*De tanto Orientis Apoſtolo*
*Supra naturam forti, ſupra imitationem eximio,*
*Supra invidiam admirando;*
*De Jeſu Socio, de Ignatii Filio,*
*De immortali Angelo in carne mortali*
*Vix aliquid, quod corrumpi potuit, immo non poteſt,*
*hìc ſitum eſt.*
*Vivit etiam num, pergitque ſuperſtes animus:*

*Quo ſolet impetu Charitatis:*
*Adhuc quærit,*
*Quò ſe avida ſalutis humanæ virtus extendat.*
*Ite ergo Heroes,*
*Sequimini, quo Xaverii pars melior*
*Non adempta Mundo, etiam cùm cœlo reddita,*
*Ultra inacceſſas hominibus Terras, & Maria vos vocat.*
*Quid hæretis. &c.*

Poterit etiam propoſitio ipſa præbere exordium; dum proponatur argutè: ſic P. Juglares *Elog. XLIX.* de Judæ proditione:

*Næ tu planè cæcus es, Juda,*
*Qui cum laternis, & facibus Solem quæris.*

Propoſitionem ſequitur amplificatio rei, quæ ſi unius alicujus actionis eſt, facti circumſtantiis inſiſtet: ſi verò laudatur perſona, ſervandus eſt virtutum ordo, vel temporum.

Elogium claudat Sententia, vel argutia aliqua, quæ cæteris nobilior, animum præ cæteris etiam feriat. En quàm argutè claudit Elogium de Capite D. Pauli præciſo P. Labbè nemini Elogiſtarum ſecundus:

*Interea rorat hoc Caput lacte, non ſanguine;*
*Perfudit hic liquor carnifices, & fecit Martyres:*
*Manant lacte Epiſtolæ Pauli;*
*Orbis totus vivit hoc lacte.*

Et de D. Thoma Doctore Angelico.

*Ut ſcias meritum virtutis datur optio præmii.*
*Quid eligat niſi Deum, qui novit pretium Dei?*
*Nec potuit eligere majus, nec debuit minus;*

*Ma-*

*Malè ſcripſerat, ſi aliter elegiſſet.*

Sed ad extrinſecam diſpoſitionem veniamus; qua ſcilicet arte elogii lineolas ſcribere oporteat. Hac in re duplex eſt in uſu Recentiorum modus.

Primus eſt eorum, qui elogii lineolas ſolutæ orationis inſtar ſcribunt; ita ut omnes lineæ æquales ſint utrinque.

Alter uſitatior eſt; quo elogium in varias d vi-
ditur inæquales lineolas ita collocatas, ut extre-
ma linearum, tum quæ initium, tum quæ lineæ
finem occupant, æquè diſtent a medio paginæ, &
ad medium hoc quantùm fieri poteſt, æquè utrin-
que accedant. Nova verò lineola tunc inchoan-
da eſt; quoties nova ſententia, novum periodi
membrum, vel etiam novum inciſum occurrit:
quòd ſi inciſum ipſum longiuſculum ſit; in duas
ita dividatur lineolas, ut diviſio illa ſenſui non
officiat. Legem hanc ſcribendi elogia faciliùs Au-
ctorum obſervatione perdiſces.

## *Elogii Elocutio.*

Duo ad Elocutionem hanc pertinent, Styli ratio, & uſus figurarum.

Stylus ſectetur omnino laconiſmum. Epitheta,
tranſitiones, conjunctiones, amplificationes, ver-
ba denique ſingula ſolâ neceſſitate metiatur. Cùm
autem tot complectatur argutias; ſtudeat quàm
diligentiſſimè claritati: quare uſitatioribus ver-
bis, latinis tamen, contentus ſit; neque phraſes
adhi-

Digitized by Google

adhibeat, niſi obvias. Sacrarum Paginarum verba, etſi minùs latina, non reſpuit; cùm ad ea alludit. Demum, ſi frequentem uſum argutiarum demas, tenuis ſit elogii ſtylus.

Figurarum uſus locum quidem habet in elogio, ſed non omnium. Ad ejus ornatum plerumque uſurpantur Hyperbole, Diſtributio, Gradatio, Metaphora, Allegoria, & Repetitio: ad proponendas verò argutias Interrogatio, Exclamatio, Admiratio, Apoſtrophe, Correctio, & Interpretatio: hæ tamen, atque cæteræ omnes parcè admodum ſunt uſurpandæ.

## ARTICULUS II.

### *De Dialogo.*

Dialogus eſt: [ Sermo inter plures perſonas inſtitutus ad eorum eruditionem, qui legerint. ] Duplex autem eſt. Familiaris alter, qui in quotidiano vivendi uſu ad communicandos ſenſus animi adhibetur. Dialogi hujus exempla venuſtiſſima æquè, atque lanitiſſima habes apud P. Pontanum in ſuis Progymnaſmatis. Alter eſt Oratorius, qui graviori ſtylo incedit; quòd de rebus agit gravioribus. Dialogos oratorios habet Cicero *in Quæſt. Tuſc. in Libris de legibus, de Seneƈt. de Ami.* aliiſque non paucis.

In iſtiuſmodi dialogis hæc erunt curanda: I. Eæ perſonæ colloquentes inducantur, quæ rebus agendis idoneæ ſunt: non enim decet afferre

ru-

ruſticum hominem de Philoſophia diſputantem. II. Sermo ipſe Perſonis aptetur: ſic rudis homo humiliter loquatur, philoſophus ſapienter, adoleſcens pueriliter, &c. III. Stylus ſit omnino familiaris, atque infimus, latinus quidem, ſed ſine gravibus figuris, inciſis contentus, familiaris ſermonis inſtar. Dialogus verò oratorius aliquanto comptior incedat; ut qui inter ſapientiores habetur: figuris, atque ſententiis ſit ornatus, argumenta pertractet, ac veluti Orationi præludat. IV. Rei tractandæ ratio in dialogo præſertim oratorio ea ſit, quæ ſummam in ea re peritiam oſtendat ejus, qui ſcripſit: quare non niſi qui rem, de qua agitur, penitus internoverit, dialogos iſtiuſmodi ſcribere inſtituat: non enim poterit quiſpiam in re aliqua cæteros inſtituere, (qui præcipuus eſt oratorii dialogi finis;) niſi rei ejuſdem intelligentiâ maximè præſtet.

Præter ea, quæ dixi, nullum dialogus admittit certum artificium, nullas determinatas partes, familiaris ſermonis more. Lege Pontani Familiares Dialogos, & Oratorios Ciceronis.

## ARTICULUS III.

### *De Hiſtoria.*

HIſtoria eſt: [Sincera rerum geſtarum expoſitio:] quæ, ſi rem, quam enarrat, in ſingulos annos diſtribuit, Annales dicitur; ſi in dies, Ephemeris, ſive Diarium; ſi ſtrictim pertra-

tractat, Commentarium; ſi verò rem copioſiùs, atque ſplendidiùs proſequitur, Hiſtoria propriè vocatur.

Finis ejus eſt legentium inſtitutio: mala enim, quæ fugiamus, bona, quæ ſectemur, aliorum exemplo nos edocet. Hujus finis gratià delectet etiam oportet: quæ enim delectant, avidiùs addiſcuntur, & hærent animo tenaciùs.

Qui Hiſtoriam deſcribere in animum induxit; ſi ſibi integrum eſt arbitratu ſuo materiam decernere, nobilem, & jucundam ſeligat; quæ legentium oblectet animos, & inſtruat, & digna memoratu ad poſteros derivet.

Præſtitutâ jam materiâ, ſcribendi exordium ſumat vel ab hiſtoriæ laude, vel a rerum, quæ exponendæ ſunt, commendatione; quòd novæ ſint, quòd magnæ, quòd expectatæ; vel ab alia rei circumſtantia.

Rei deinde narrationem inſtituat; in qua a magnis rebus, ſi per veritatem licet, auſpicetur potiùs, quàm ab abjectis; ne humili ingreſſu alienetur lectoris animus: procedat deinde ſervato temporum ordine: cui verò non ita nimiùm inſerviat, ut rerum ſeries confundatur, vel memoria in plura diſtracta fatigetur: quare ſi rei unitas, atque integritas ita poſtulaverit; res ſingulas ab annis repetat præeuntibus illi, cui inſiſtit; vel etiam ad annos ſequentes protrahat. Noſcat interea rerum narrationem cum hiſtoriæ fine metiri: quæ enim laudem merentur, commendet; ſed temperatè, ut Hiſtoricus: improba facta non

ſine

ſine reprehenſione dimittat: ſcitu digna commemoret, indigna diſſimulet: levia non niſi ſtrictim attingat, gravia accuratiùs perpendat.

Virtutes vero hiſtoriæ plures ſunt. Sit I. *ſuavis*, quæ virtus paratur tum nobilitate materiæ, tum uſu figurarum. Deſcriptione potiſſimùm, Proſopopœjâ, & Hypotypoſi; tum demum affectuum variatione, quos Hiſtoricus inſerit narrationibus pro rerum, & perſonarum varietate: cùm præſertim loquentem aliquem inducit: tunc enim vehementium figurarum, & affectuum uſus Hiſtorico permittitur; in reliquis non ita. Facit etiam ad ſuavitatem hiſtoriæ; ſi rerum, quæ exponimus, principia efferamus, cauſas, eventa, conſilia; quid temerè, quid prudenter geſtum ſit; ſi non infrequentes oratiunculas, epiſtolas, ſententias, prudentium judicia, quidquid denique habet morale, vel politicum ſcitu dignum proponat.

Sit II. *ſincera* ita, ut neque quid inferat fabuloſum, aut minùs certum; neque animo ſcribatur in alterutram ex contrariis partibus inclinato. Nemini itaque plùs faveat, quàm par eſt; nullainque ſimultatis, aut adulationis ſuſpicionem injiciat legenti.

Sit III. *perſpicua*: quamvis enim nobiliorem ſtylum exigit, quàm Dialogus, magiſque aptum ad delectandum; id tamen citra perſpicuitatis detrimentum fiat.

Sit IV. *brevis*: nihil enim ab ea, amplificationis gratiâ, nudæ veritatis imagini ſuperaddendum

eſt:

eſt: tribuat tamen rebus ſingulis pondus ſuum; ne legentem aut minùs erudiat; aut ſicca, & laconica dictione avertat.

Stylus, colorum inſtar, rebus, quæ debent exprimi, accommodetur: alio enim ſtylo res afflictæ, alio hilares exponuntur; alium ſtylum lœtæ exultantium orationes, alium deſperatorum, alium timidorum poſtulant. Hæc itaque eſt hiſtorici ſtyli proprietas; ut nativis coloribus quæquæ res exhibeatur. Cæterùm Livii ubertatem, & illimitatam quamdam copiam ſtylus vitet: cum Curtio tamen potiùs liberiùs excurrat, quàm anguſtetur cum Salluſtio: aut cum Tacito inamœna quadam aſperitate, atque penuria, ad obſcuritatem uſque coarctetur.

FINIS LIBRI PRIMI.

Digitized by Google

# LIBER II.

## DE LIGATA ORATIONE.

LIbrum hunc duplex dividet Inſtitutio; quarum altera de Poëſi diſſeret ſpectata universè; altera de unoquoque Poëmate ſingillatim.

## INSTITUTIO I.

### *De Poëſi universè ſpectatâ.*

QUæ ad Poëſim ita ſpectatam pertinent, decem Capitibus omnia excipiam; quorum I. Notionem dabit, atque naturam Poëſeos: II. de iis aget, quæ Poëſis habet cum ſoluta oratione communia: III. de ratione condendi facilè carminis: IV. de amplificatione poëtica: V. de mutatione vocum in carmine: VI. de epithetorum uſu: VII. de pedum concinnatione ad carminis venuſtatem: VIII. de dictio-

Digitized by Google

dictione poëtica: IX. de figuris poëticis: X. de eo, quod facto opus eſt, cùm ad aliquod poëma conſcribendum accedimus.

## CAPUT I.

### *Notio, & Natura Poeſeos.*

POëſis eſt: [ Ars fingendi aliquid carmine. ] Hinc collige, duo ad poëſim requiri, Fictionem, & Carmen; quorum ſi deſit alterum, poëſis non eſt: ſic fabella ſoluta oratione conſcripta, & hiſtoria metro ligata, neutra poëſis eſſe exiſtimatur.

Cæterùm ne Poëtæ complures jubeantur exulare e Parnaſſo; quòd nihil finxiſſe videantur; ad, verte, Fictionem poëticam dupliciter ſumi poſſe, Strictè, atq; Latè. Fictio *ſtrictè* ſumpta in *rebus* conſiſtit; quòd vel exponit aliquid fictum omnino, & fabuloſum; vel rem etiam veram, ſed ita fictionibus circumveſtitam, ut fictio omnino dici debeat. Fictio hæc majoribus poëmatis competit, Epico ſcilicet, Comico, atq; Tragico; atq; ita competit, ut, qui ea ſine hac fictione deſcribat, Poëta non ſit: atq; indè Lucanus, qui materiam Epici carminis, civile ſcilicet bellum inter Cæſarem, atque Pompejum, ſine hac fictione tractavit, Poëtis non aſcribitur. Fictio verò *latè* ſumpta in *verbis*, & *phraſi* maximè ſita eſt; quæ non modò a communi, atque quotidiana, ſed & ab oratoria recedat dicendi ratione: quòd obtinebis per translata,

tro-

tropoſque frequentes, qui nunquam a fictione aliqua ſejunguntur; per quandam dicendi libertatem, dictione, ſpirituque poëtico luxuriantem, perque figuratum, florentemque dicendi modum, qui ſtylum poëticum exprimit. Fictio hæc, etſi ſit in omnibus poëmatis; in minoribus tamen, ut ſunt Epigramma, Georgica, nec infrequenter Lyricum, & Elegiacum carmen, quod ſæpe nihil fabuloſum effingit, ſatis eſt etiam ſola, ut ea dicantur eſſe poëmata. Fictionem hanc latè ſumptam niſi admiſeris, excludes ſcilicet a poëſi Martialis Epigrammata, Georgica Virgilii, Elegias Ovidii compluſres; aliaque poëmata non pauca: quod ſi auſus fueris; nemo non reprehendet inſaniam. Sed de poëticæ fictionis legibus plura dicam, cùm de Epico carmine ſermo erit.

Rem verò ideo fictione, atque carmine tractat Poëta; ut Auditores delectet, & delectando doceat, moreſque inſtituat; ut ait Horatius in Arte:

*Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci,*
*Lectorem delectando, pariterque monendo.*

Quòd ſi quis compoſiti hujus finis oblitus ſoli legentium oblectationi verſus ſuos accommodet, atque ea proponat, quæ mores non modò non inſtituant, ſed inficiant; non eſt cenſendus Poëta. Tu ab his Verſiculatoribus pervoluntandis abſtine: Poëtam enim non leges, & bonos mores tuos turpiſſime corrumpes.

## CAPUT II.

### *De iis, quæ Poëſis habet cum ſoluta Oratione communia.*

PLura ſunt, quæ hìc fuſiùs pertractarem, ut ad artem poëticam ſcitu neceſſaria; niſi ea in ſoluta oratione docuiſſem. Quare, ne actum agam, ea hìc tantùm recenſebo; ut a Libro I. repetas, & addiſcas.

Primò quidquid *Inſtit.* I. dictum eſt de Rhetoricæ Natura, Materia, atque Subſidiis, revocari huc etiam debet. Notandum tamen, quòd etſi ingenium ducendis carminibus appoſitum naturæ maximè donum eſt; arte tamen etiam indigemus: nullum enim eſt naturæ donum, quod niſi arte excolatur, non diffluat; quodque, accedente arte, non creſcat: neque verò ulli adeo tenax, & avara in hoc genere laudis unquam natura fuit, ut præceptis nequeat ad artis hujus aſſecutionem labore aliquo tandem pervenire. Quare qui facilitatem ſcribendi non ſtatim aſſequitur; non ideo poëſeos ſtudium abjiciat: ſunt enim, qui inepti ad hanc artem initio videbantur: deinde labore, atque diligentià, quò non ſperaverant, pervenere.

Exercitatio verò tibi maximè proderit, quæ ſervet iſta: I. Multa ne ſcribe, ſed ea, quæ ſcribis,

bis, bene efferre curato: non enim hìc laudatur multitudo, ſed bonitas: neque celeritatem ſcribendi dabit ſcripſiſſe citò, vel ducentos verſus in horam; ſed conſuetudo bene ſcribendi, quæ paulatim & celeritatem præſtabit, & bonitatem. II. Patrio ſermone verſus conditos in latinos converte. III. Rem uno verſuum genere ab Auctore aliquo tractatam muta in aliud genus: Heroicum in Elegiacum, hoc in Lyricum, &c. IV. Rem eodem verſuum genere: quo Poëta aliquis uſus eſt, diverſis tamen phraſibus explicare conator: neque enim eſt, cur idem aliis verbis præclarè etiam dici non poſſit. V. Rem eandem nunc conciſo ſtylo, nunc copioſiore, & cultiore conſcribe: VI. Si quid offendis in Auctoribus, quod immutatis pauliſper verbis rem omnino aliam exprimere poſſit, id facito: ſic Proba Falconia mutuatis a Virgilio verſibus, levi verborum immutatione, Chriſti Servatoris cruciatus, mortemque deſcripſit. VII. Locum Poëtæ aliquem in proſam redige: deinde ubi ea carmina temporis intervallo jam excidère memoriâ, inconſulto Poëta, rem eandem metro reſtitue.

De Imitatione ſatis multa ſuo loco dicta ſunt.

Secundò ea, quæ *Inſtit. IV. Cap. I.* docui, cùm de Inventione argumentorum, quæ a Locis communibus deſumuntur ad rerum confirmationem; tum de Inventione in ordine ad tractandos animi motus; ad Poeſim etiam pertinent. Hoc verò inter Oratorem, atque Poëtam inte eſt in his re-

bus; quòd Poëta moderatior eſt in uſu argumentorum: magis enim docet per fabulas, mores, ſententias, ſimilitudines, exempla, cæteraque ejuſmodi; quàm per argumenta; etſi non his deſtituatur omnino: immo & in argumentationis formam compoſita argumenta invenies aliquando. En integrum Syllogiſmum apud Perſium *Sat. V.*

*An quiſquam eſt alius liber, niſi ducere vitam*
*Cui licet, ut voluit? Licet, ut volo, vivere: non ſim*
*Liberior Bruto?*

Sed frequentior eſt Inductionis uſus: ſic Æneas poſſe ſe viventem etiam ad inferos deſcendere, per inductionem probat *l. VI. Æneidum*:

*Si potuit manes arceſſere conjugis Orpheus*
*Threiciâ fretus citharâ, fidibuſque canoris:*
*Si fratrem Pollux alterna morte redemit,*
*Itque, reditq; viam toties: quid Theſea magnum,*
*Quid memorem Alciden? Et mi genus ab Jove ſummo.*

Uſus verò affectuum longè apud Poëtas frequentior eſt, præſertim apud Epicos, & Elegiacos. Luculentiſſimum exemplum habes apud Virg. qui *Æn. l. IV.* Didonem Æneæ diſceſſu furentem, variiſque affectibus agitatam, in hæc verba loquentem inducit:

*Proh, Juppiter, ibit*
*Hic, ait, & noſtris illuſerit advena regnis?*
*Non arma expedient? totaque ex urbe ſequentur?*
*Diripientque rates alii navalibus? ite,*
*Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.*

*Quid*

*Quid loquor? aut ubi ſum? quæ mentem inſania mutat?*
*Infelix Dido, nunc te fata impia tangunt!*
*Tum decuit, cùm ſceptra dabas. En dextra, fideſque,*
*Quem ſecum patrios ajunt portare Penates!*
*Non potui abreptum divellere corpus? & undis*
*Spargere? non ſocios? non ipſum abſumere ferro*
*Aſcanium? patriiſque epulandum apponere menſis?*
*Verùm anceps pugnæ fuerat fortuna. Fuiſſet.*
*Quem metui moritura? &c.*

Tertiò Amplificationis artificium, quod *Inſtit. IV. Cap. II.* & Elocutionis ratio, quam *Cap. III.* docui, ad Poëtas etiam pertinent: quod verò poëticæ Amplificationi, & Elocutioni peculiare eſt, inferiùs edocebo.

## CAPUT III.

### *De Ratione condendi facilè Carminis.*

TIroni, qui primò ad Parnaſſum accedit; ne rei difficultate abſterritus deſiſtat ab incepto; hoc, atque ſubſequens Caput ſcribo; ut levibus præceptis ea, quæ initio adoleſcentibus obeſſe ſolet, difficultas miteſcat; moxq; ad majora deducantur. Et quoniam primus tironum labor in Hexametris, atque Pentametris collocatur; immoror in his tantùm.

Fac tibi ſcribendum eſſe Diſtichum. Oportet primò, ut explicandam ſententiam poëtica phraſi latinam reddas tot verbis, quæ Diſtici mole minora potiùs ſint, quàm excedant: facilè enim inopiæ verborum per epitheta, variaſque phraſes ſuccurrimus: ſuperfluitatem verò non ita facilè coërcemus. Deinde in ea latina ſententia quære verba, quæ duos ultimos Dactylos, & cæſuram Pentametri conſtituant: (a Pentametro enim, quod eſt difficilius, incipe.) ſit pro exemplo ſententia illa Ovidii: [Ah quoties, properante aliquo, dixi: quid urges? vide vel quò feſtinas ire, vel unde.] In his verbis ad poſtremam Pentametri partem condendam invenies illa: [ire vel unde vide.] ea in margine chartæ conſcribito: tum conare iis verbis, quæ ad eam ſententiæ partem magis pertinent, quam Pentametro attribuiſti, Pentametri partem alteram condere: ſic facilè fluet hoc carmen:

*Vel quò feſtinas ire, vel unde vide.*

Ad Hexametrum deinde veni; atque ex reliquis verbis parato tibi Dactylum, & Spondæum, quibus Hexameter clauditur. Invenies illa: [properante quid urges.] tum per verba, quæ ſuperſunt, reliquum Hexametri pangito: ſic integrum verſum habebis:

*Ah quoties, aliquo, dixi. properante, quid urges?*

Quòd ſi ligandæ in numeros ſententiæ membrum illud, quod Hexametro attribuis, plura habet verba, quàm ut omnia in eo ſolo conclu-

dan-

dantur; poteris ex illis unum, aut alterum initio Pentametri collocare. Dant exemplum ſequentia Ovidii carmina *in El.* III. *l.* I. *Triſt.*

*Ah quoties certam me ſum mentitus habere*
*Horam, propoſitæ quæ foret apta viæ!*

Si contrà Pentametri ſuperabundent verba; poteris eorum aliquibus Hexametrum concludere: ſic Ovid. *in eadem El.*

*Ter limen tetigi: ter ſum revocatus; & ipſe*
*Indulgens animo pes mihi tardus erat.*

Notanda tamen hìc aliqua. I. Cùm propoſitam ſententiam latinam reddis; ne verba inferas, quæ condendo Hexametro, aut Pentametro ſint inepta: ſic malè Creticum pedem adhibes: ut *advolant*; aut Dipyrrichium: ut *avidior*; aut Dichoræum: ut *commodare*; malè Dijambum: ut *repleverant*, & ſimilia.

II. Ut in reddenda latinè ſententia, & verba habeas carmini accommodata, & phraſim etiam, quæ ſapiat Poëſim; librum habeto tuâ, vel aliena operâ confectum, in quo poëticarum locutionum ſit apparatus alphabetico ordine diſpoſitus. Utiliorem ad rem hanc libellum *Regiâ Parnaſſi* in præſentia non habemus. In his verò libellis non ea tantùm verba perquirito, quæ nudum, ſiccumque thema conſtituunt; ſed & alia, quæ ad illud thema ratione aliqua pertineant. v. g. Si eſſet explicandum hoc thema: *Navis mergitur*: quærenda eſſent non modò verba *Navis*, & *Mergor*, ſed & alia, quæ ſunt illis affinia, ut *tempeſtas*,

*turbo*, *fluctus*, *mare*, *ventus*, & ſimilia; in quibus facilè aptam phraſim offendes: quòd ſi per eam, quam primò inveneras, facilè non proveniat carmen; in ea ne immorator; ſed alteram ſeligito, quæ ſi minùs & ipſa proderit; ad tertiam, vel ad quartam progreditor; donec ex voto carmen deducas.

III. Si ſententiæ ſuperabundent verba; vel phraſim immutato; vel quod paucioribus claudendum erat, pluribus verſibus concludito. Quòd ſi contrà deſint verba; feret ſuppetias Caput ſubſequens.

## C A P U T IV.

### *De Amplificatione poëtica.*

POëticæ Amplificationis ratio ab oratoria deſumenda eſt; cujus artificium dedi *Lib. I. Inſt: IV. Cap. II.* Sed quoniam non rarò verborum penuriâ in condendis carminibus tirones premuntur; plures illis, eaſque faciles vias aperio cujuſvis ſententiæ etiam breviſſimæ amplificandæ, donec impleant carmen.

I. Statuatur amplificanda hæc ſententia: [Pandimus vela.] Subſtantivum aliquod ſuperadde, quod modum, cauſam, locum, vel aliam circumſtantiam ſignificet ab eo carmine ſatis noto petitam: [Quis, Quid, Ubi &c.] adde nunc id, cui vela panduntur, nempe *Vento*. Jam ſi ſubſtantivis ſua adjectiva ſuperaddes, ſtatim Verſus conſurget.

ſurget, ut voles, Hexameter, vel Pentameter.

*Pandimus effuſo turgentia lintea vento.*
*Pandimus effuſis lintea plena notis.*

Sed immutato ſubſtantivum adjectum, aliamque circumſtantiam apponito; nempe locum, ubi vela panduntur; quod eſt mare: en iterum alii duo verſus:

*Pandimus undoſo turgentia lintea ponto.*
*Pandimus undoſo lintea plena mari.*

II. Tecum reputa quid deinum ſit res illa, quæ venit amplificanda. Perpende rei effecta, cauſas, modum, omneſque circumſtantias: tum quidquid animo occurret, ſi explicaveris; apta erit rei amplificandæ ratio. e. g. fac tibi explicandam eſſe vocem hanc: *Dormio*. pete a te ipſo, quid demum ſit *dormire*? invenies tandem eſſe, quòd ſopor artus complectatur; quòd lumina claudantur ſomno; quòd curæ ſomno pellantur; &c. jam ex his locutionibus en, qui enaſcuntur, verſus:

*Jam ſopor ignavus lentos complectitur artus.*
*Languida nocturno ceſſerunt lumina ſomno.*
*Pellit ubi ſomnus toto de pectore curas.*
*Corpora jam placidum carpebant feſſa ſoporem.*

III. Adjectivum, quod apponi rei commodè poteſt, reſolve, ejuſque interpres eſto: ſic fiet, ut tot habeas phraſes, quot ſunt rei ejus adjectiva. Exemplo rem declaro. Sit explicanda hæc ſententia: [ Miles capit arma. ] da ſubſtantivo *arma* epitheta, quæ volueris: dices fortaſſe [ cruenta, victricia; cyclopia &c. ] pete jam a te ipſo cur dixe-

dixeris *cruenta*? cur *victricia*? cur *cyclopia*? Certè cruenta, quòd multum ſpargunt cruorem: victricia, quòd triumphos pariunt: cyclopia, quòd a Cyclopibus fabricata. Vide jam quàm facilè inde conſurgant verſus:

*Arma capit miles multum bibitura cruorem.*
*Arma capit miles magnos paritura triumphos.*
*Arma capit miles manibus fabricata Cyclopum.*

IV. Adjice ſubſtantivum alterum, quod præcedentis ſubſtantivi genitivus ſit: quibus ambobus ſi accedant adjectiva, facilè carmen venerit: ſic, ut exemplo nuper dato inſiſtam; adde genitivum Martis. En verſum:

*Arma capit miles ſævi rutilantia Martis.*

V. Adjectivi, quod ſubſtantivo dederas, effectum inveſtiga: ſic in eodem exemplo, ſi arma dixeris ſplendida; ſplendoris ejus effectus eſt, oculos hoſtium perſtringere, terroremque incutere: ex his verò effectibus ſic verſus dices:

*Arma capit miles, ſæva quæ luce laceſſunt*
*Adverſas acies, terrore & pectora complent.*

VI. Explicandæ ſententiæ ſubjice per relativum Qui, quæ, quod, ſententiam alteram, quæ antecedentis explicet naturam, vel aliquam circumſtantiam. *Ovid. Lib. III. Triſt. El. VIII.*

*Stulte quid hæc fruſtra votis puerilibus optas,*
*Quæ non ulla tibi fertque, feretque dies?*

VII. Eidem ſententiæ ſubſtantivum aliquod continuatum adjice. *Ovid. Lib. II. Triſt.*

*Si ſaperem, doctas odiſſem jure Sorores,*

*Nu-*

*Numina cultori pernicioſa ſuo.*

VIII. Appone eidem participium aliquod cum ſuis caſibus. *Ovid. Lib. I. de Pon. El. II.*

*His eques inſtructus perterrita mœnia luſtrat,*
*More lupi clauſas circumeuntis oves.*

IX. Utere ablativo aliquo, ut ajunt, abſoluto: in quo maximè participia probantur. *Ovid. El.* II. *Lib. I. de Pont.*

*Hei mihi! quid faciam? Vereor, ne nomine lecto,*
*Durus, & aversâ cætera fronte legas.*

X. Utere etiam parentheſi, quæ brevis ſit, & e re nata. *Ovid. Lib. I. de Pont. El. I.*

*Pœnitet ah! (ſi quid miſerorum creditur ulli.)*
*Pœnitet; & facto torqueor ipſe meo.*

XI. Caſuum communium uſus facit etiam ad amplificandum; ſive ii pertineant ad laudem, aut vituperationem; ſive ad ſtatum, aut motum; ſive ad aliud. *Ovid. Lib. V. Triſt. El. VIII.*

*Quam legis, ex illa tibi venit epiſtola terra;*
*Latus ubi æquoreis jungitur Iſter aquis.*

XII. Poterit aliquando eadem ſententia pluribus locutionibus per Expolitionem efferri; dum parcè id fiat. *Virg. Lib. VI. Æn.*

*Quod ſi tantus amor menti, ſi tanta cupido eſt,*
*Bis ſtygios innare lacus, bis nigra videre*
*Tartara.*

XIII. Verbo aliquando additur participium ejuſdem ſignificationis, quo & creſcit, & vim accipit ſententia. *Virg: Lib. VI. Æn.*

*Quàm multa in ſilvis autumni frigore primo*
*Lapſa cadunt folia.* XIV. Fa-

Digitized by Google

XIV. Facit etiam ad amplificationem efferre ſubſtantivum in caſu patrio, præmiſſo altero ſubſtantivo, quod univerſalius ſit: ſic pro flumine dici poterit [ Aqua fluminis, Unda fluminis, ec.] *Virg. lib. VI. Æn.* pro *Cocytum*, dixit:

*Cocyti ſtagna alta vides, ſtygiamq; paludem.*

Sed juvat hic ad amplificationis etiam copioſioris uſum, ex iis amplificandi modis, qui Oratoribus quoque ſunt in uſu, quatuor recenſere; quibus præ reliquis maximè utuntur Poëtæ.

Primus eſt per Similitudinem; quæ ſi apta ſit, non amplificat modò ſententiam, ſed & carmini venuſtatem addit non vulgarem. Ea poteſt eſſe vel brevior; ſic *Virg. Lib. VI. Æn.*

*Nec magis incepto vultum ſermone movetur;*
*Quàm ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.*

Vel etiam longior, ut *Virg. Lib.IV. Æn.* de Trojanis parantibus claſſem:

*Ac veluti ingentem formicæ farris acervum*
*Cùm populant, hyemis memores, tectoq;reponũt.*
*It nigrum campis agmen, prædamque per herbas*
*Convectant calle anguſto: pars grandia trudunt*
*Obnixæ frumenta humeris:pars agmina cogunt,*
*Caſtigantque moras. Opere omnis ſemita fervet.*

Hac verò Virgilius ſic utitur plerunque: proponit primò ſimilitudinem; deinde quaſi rei oblitus, cujus gratiâ ſimilitudinem produxerat, ſiſtit in hac explicanda, qua multis examplificata; redit demum ad rem principalem; ſic *Lib. VII. Æn.* de Rege Latino:

*Ille*

*Ille Velut pelagi rupes immota reſiſtit:*
*Ut pelagi rupes magno veniente fragore,*
*Quæ ſeſe, multis circumlatrantibus undis,*
*Mole tenet: ſcopuli nequidquã, & ſpumea circum*
*Saxa fremunt, laterique illiſa refunditur alga.*

Aliquando etiam ſimilitudo ingeminatur: ſic *Virg. IX. Æn.* de Turno fugientem Lycum arripiente:

*Qualis ubi aut leporẽ, aut candẽti corpore cycnũ*
*Suſtulit alta petẽs pedibus Jovis armiger uncis:*
*Quæſitum aut matri multis balatibus agnum*
*Martius a ſtabulis rapuit lupus.*

Sed quoniam uſus Similitudinis præſertim in Epico, & Elegiaco carmine nunquam non maximè placuit; juvat Virgilianas hìc particulas recenſere, quibus ad ſimilitudines tranſitur: eæ ſunt:

Qualis *ubi in lucem coluber &c.*
Non ſic *aggeribus ruptis cùm ſpumeus amnis.*
*Ille* velut *celſam oppugnat qui molibus urbem.*
*Delphinũ* ſimiles, *qui per maria humida nando.*
Quàm multa *in ſilvis Autumni frigore primo.*
Par *levibus ventis, volucrique* ſimillima *ſomno.*
*Fluctus* uti *primo cœpit cùm albeſcere vento.*
Ceu *quondam nivei liquida inter nubila Cycni.*
Sicut *aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis.*
Non ſecus, ac *ſiqua penitus vi terra dehiſcens.*
Ac veluti *pleno lupus inſidiatur ovili.*
Ut *fera, quæ denſâ venantûm ſepta coronâ.*
Quantus *ab occaſu veniens.*
*Fulminis* in morem.

*Tur-*

Digitized by Google

*Turbinis atri*
More *furens.*
Haud ſecus atq; *alto in luco, cùm fortè catervæ.*
Non aliter, quàm *qui adverſo vix fulmine.*

Alter modus amplificationis eſt per Enumerationem partium. *Virg. Æn. VIII.* ſententiam hanc: [Miratur arma] ſic amplificat:

*Oculos per ſingula volvit,*
*Miraturque, interque manus & brachia verſat*
*Terribilem criſtis galeam, flammaſq; vomentem,*
*Fatiferumque enſem, loricam ex ære rigentem,*
*Tum læves ocreas electro, auroque recocto,*
*Haſtamque, & clypei non enarrabile textum.*

Tertius eſt, ſi ad rem amplificandam, in qua aliquod temporis ſpatium impenſum ſit, temporum ſeries ſervetur. ſic *Virg. l.* I. *Æn* tempeſtatem deſcribit ab iis verbis: [Incubuere mari, &c.] & *Ovid. l.* III. *Metam*: illud militum Cadmi ſenſim e terra erumpentium ſic amplificat.

*Inde (fide majus) glebæ cœpere moveri,*
*Primaque de ſulcis acies apparuit haſtæ;*
*Tegmina mox capitum picto nutantia cono;*
*Mox humeri, pectuſque, oneerataque brachia telis,*
*Exiſtunt; creſcitque ſeges clypeata virorum.*

Quartus eſt, ſi recenſeamus ea, quæ tunc fiunt, cùm res eſt, quam volumus amplificatam: quod maximè fit a Poëtis, cùm tempus deſcribunt; ut Æſtas, Autumnus, Dies, Aurora &c. *Virg. l.* IV. *Æn.* ſic noctem deſcribit:

*Nox*

*Nox erat; & placidum carpebant feſſa ſoporem*
*Corpora per terras; ſilvæque, & ſæva quiêrant*
*Æquora; cùm medio volvuntur ſidera lapſu:*
*Cùm tacet omnis ager, pecudes, pictæq; volucres;*
*Quæque lacus latè liquidos, quæq; aſpera dumis*
*Rura tenent, ſomno poſitæ ſub nocte ſilenti.*

## CAPUT V.

### *De Mutatione vocum in Carmine.*

AD minuendam condendi carminis difficultatem, tum ad poëticam dictionem comparandam, conceditur Poëtæ mutatio quædam vocum, per quam nomina, verba, atque particulas aliter uſurpant, quàm prima fronte in uſu eſſe videantur. Multiplicis hujus mutationis uſum toto hoc Capite edocebo.

*Mutatio in nomine.*

I. Adjectivum uni ſubſtantivo tribuendum, tribuunt aliquando alteri; modò ſenſus non perturbetur: ſic *Virg. Æn.* VII. pro [Iter udum vocis] dixit *Udæ vocis iter.* & *Æn.* III.

*Heu fuge crudeles terras, fuge litus avarum.*

II. Adjectivum ſubſtantivè ponunt aliquando, addito ſubſtantivo in caſu patrio. *Virg. Æn.* V.

*Tonitruque tremiſcunt*
*Ardua terrarum, & campi.*

Hujuſmodi adjectivis ſubſtantivè poſitis licet addere adjectivum. *Virg. Geor. III.*

*Sed*

*Sed me Parnaſſi deſerta per ardua dulcis*
*Raptat amor.*

III. Loco ſpeciei genus apponunt, adjecto epitheto, quod ſit proprium ſpeciei: ſic dicunt *Squamiferi greges*, pro Piſcibus. *Ales Jovis*, pro Aquila. *Ales prænuncia veris*, pro Hyrundine. *Virg. Æn. I.*

*Æthereâ quos lapſa plagâ Jovis ales aperto*
*Turbabat cœlo.*

IV. Frequens eſt uſus ſigni pro re ſignificata: ſic dicunt *Sagum* pro Militia; *Faſces*, vel *Sella curulis* pro Conſulatu; *Corona*, *Purpura* &c. pro regia Dignitate; *Arma* pro Bello, *Palma* pro Victoria; *Oliva*, vel *Toga* pro Pace; *Fiſtula* pro Buccolica poëſi; *Cithara*, *Lyra*, vel *Fides* pro Heroica, vel Lyrica poëſi; *Soccus* pro Comœdia; *Cothurnus* pro Tragœdia, &c. Sic illud decantatum Ciceronis.

*Cedant arma togæ, concedat laurus olivæ.*

Et *Hor. Lib. I. Od. XVII.*

*Hic in reducta valle, caniculæ*
*Vitabis æſtus, & fide Teja*
*Dices* &c.

V. Fluminum, ſive Montium nomina pro populis ponunt ejus regionis: ſic Padus Italos deſignat, Rhenus Germanos, Tyberis Romanos, Tagus Hiſpanos, Sequana Gallos, Tameſis Anglos, Ganges Indos, Nilus Ægyptios, Euphrates Parthos, &c. his verò ſic utimur: *Potator Gangis* pro Indis. *Qui bibunt Nilum* pro Ægyptiis,

ptiis, *Qui Caucaſum colunt* pro Scythis,&c. *Virg. Æn.* VII.

*Qui Tetricæ horrentes rupes, montemq; Severũ,*
*Caſperiamq; colũt, Foruloſq; & flumen Himellæ,*
*Qui Tyberim, Fabarimq; bibunt* &c.

VI. Genitivos duorum ſubſtantivorum nominum in adjectiva commutant, quæ alteri ſubſtantivo adhæreant. *Virg. Æn.* VI. pro [Aves matris,] dixit: *Maternas agnoſcit aves.*

VII. Eoſdem efferunt etiam caſu eodem, ac alterum ſubſtantivum, adjecta conjunctione: ſic *Virg. Æn.* I. pro [Molem montium altorum,] dixit: *Molemque, & mõtes inſuper altos.* & *Æn.* III. pro [In partem prædæ,] dixit: *In partem, & prædam,* & *Ecl.* VI. pro [Regum prælia,] dixit: *Reges, & prælia.* Adjectiva ſubſtantivè aliquando ponunt, conjunctione interpoſita inter ipſa, ac eorum ſubſtantiva. *Virg. Georg.* II. pro [Pateris aureis,] dixit: *Pateris libamus, & auro.* & *Georg. III.* pro [Maculis albis,] cecinit: *Maculis inſignis, & alba.* Quæ omnia vix unquam Tironibus ſunt imitanda.

VIII. Perſonam primam ad exprimendum vehementem animi motum, facilè in tertiam mutant, adjecto ejuſdem perſonæ nomine: ſic *Virg. Ecl.* I. Melibœus de ſe hæc ait:

*Inſere nunc, Melibœe, pyros; pone ordine vites.*

Et *Æn.* IV.

*Non te noſter amor, nec te data dextera quondã,*
*Nec moritura tenet crudeli funere Dido?*

Et *Ovid: Epiſt.* Didonis ad Æneam.

*Si pudet uxoris; non nupta, ſed hoſpita dicar:*
*Dum tua ſit Dido, quidlibet eſſe feret.*

IX. Actionem perſonæ frequenter transferunt ad aliquam ejus partem, effectum, vel ad aliud, quod ad ipſam pertineat. *Ovid. in Epiſt. Phæd. Hipp.* transfert actionem ad linguam ſic:

*Ter tecum conata loqui, ter inutilis hæſit*
*Lingua; ter in primo deſtitit ore ſonus.*

Et *Epiſt. Briſ. Achill.* dicturus: [ Tu lentus es ad iram. ] ait: *Ceſſas, iraque lenta tua eſt.*

X. Plures caſus per Apoſtrophen eleganter in vocativum mutant; genitivum præſertim duorum ſubſtantivorum nominum. *Ovid. lib.* II. *Triſt.* dicturus: [ Facta ſaucia unguibus accipitris, ] ait:

*Unguibus, accipiter, ſaucia facta tuis.*

Et *Virg. Æn.* VI. dicturus : [Vates locuta eſt verè omnia de Miſeno ] ait:

*Quando omnia verè*
*Heu nimiùm de te vates, Miſene, locuta eſt.*

XI. Facile pro ablativo verbi paſſivi dativum ponunt Græcorum more : ſic *Virg. Æn.* I. dixit: [ *Neque cernitur ulli.* ] & *Ovid. El.* IX. *Lib. III. de Ponto*: [ *Vix audior ulli.* ]

XII. Verbis pugnandi loco ablativi cum præpoſitione dativum attribuunt. *Virg. Æn.* IV. ait: *Placitone etiam pugnabis amori?* & *Ecl.* VIII. *Certent & cycnis ululæ.*

XIII. Singularem pro plurali numero, pluralem pro ſingulari facilè adhibent. *Virg. Æn.* II.

*Pria-*

*Priami dum regna manebant.* & *Æn.* VI.

*Fraxineæque trabes cuneis, & fixile robur*
*Scinditur.*

XIV. Cardinales numeros Unus, Duo, &c. efferunt per adverbia Bis, Ter, &c. conjuncta vel cum numeris ipſis cardinalibus, ut *Virg. Æn.* I.

*Sunt mihi bis ſeptem præſtāti corpore Nymphæ.*

vel conjuncta cum ordinalibus Bini, Terni, &c. *Ovid.* *Martia ter ſenos proles adoleverat annos.*

## *Mutatio in Verbis.*

I. Infinitum pro Potentiali uſurpant aliquando. *Virg. Æn.* I. *Me ne incepto deſiſtere victam?* pro [ deſiſtam ]

II. Adhibent etiam præteritum loco præſentis; ſed rarò. *Virg. Georg. IV.* de Apibus:

*Rege incolumi mens omnibus una,*
*Amiſſo rupere fidem, conſtructaque mella*
*Diripuere ipſæ, & crates ſolvere favorum.*

III. Frequentiſſimè per potentialem modum efferunt ſententiam illam, quæ per verbum Debeo, Poſſum, Volo, &c. exponi, ſed minùs eleganter, potuiſſet; qui modus, ſequente interrogatione, vim habet, & venuſtatem non vulgarem. *Virg. Æn.* I. *Et quiſquam numen Junonis adoret*
*Præterea, aut ſupplex aris imponat honorem?*

IV. Unum alteri infinito ſubſtituunt aliquando. *Ovid. Epiſt. Med. Jaſ.* infinitum præteritum pro præſenti uſurpat:

*Serpentes igitur potui, tauroſque furentes;*
*Unum non potui perdomuiſſe virum?*

V. Frequenter verbum in locutionem aliquam mutant, quæ circumſtantiam actionis adſignificet. *Virg. Ecl.* I. dicturus: [ Sæpe ſacrificabo ad illius aram ] cecinit:

*Illius aram*
*Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.*

VI. Vel idem verbum mutant in locutionem, quæ temporis circumſtantiam explicet; ſic *Virg. Ecl.* II. pro [ Adveſperaſcit, ] dixit:

*Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ.*

VII. Vel demum mutant in locutionem, quæ a loci circumſtantia deſumatur. *Idem Ecl.* II. dicturus: [ Sunt mihi mille agnæ.] cecinit:

*Mille meæ ſiculis errant in montibus agnæ.*

*Mutatio in Particulis.*

I. Adverbia in adjectiva mutant: *Virg. Æn.* VI. pro [ Celeriter,] dixit: *Tollunt ſe celeres.* & *Æn.* IV. pro [ Citò, ] ait: *Solvite vela citi.*

II. Encliticam [Que] pro [Et] facilè uſurpant ad facilitatem verſûs; & ad vim addendam ingeminant *Virg. Georg. IV.*

*Terraſq;tractuſq;maris, cœlumq; profundum.*

Et *Æn.* VII. *Spiculaq;Clypeiq;ereptaq;roſtra carinis.*

III. Cum pro [Et] facilè utuntur: *Virg. Æn.* I.

*Cana fides, & Veſta, Remo cum fratre Quirinus.*

CA-

## CAPUT VI.

### *De Epithetorum uſu.*

EPitheta non ad facilitatem modò ; ſed & ad carminis venuſtatem, vim, atque dignitatem maximè faciunt ; ſi prudens ſit eorum uſus, neque cum ſola metri neceſſitate metiatur. Ea itaque adhibe epitheta, quæ ſunt idonea, & rei explicandæ conveniunt. Vide quàm appoſitè *Virg. Æn.* II. Priamum ſenem ſeſe ad pugnam comparantem deſcribens, utatur epithetis:

*Arma diu ſenior deſueta trementibus ævo*
*Circumdat nequidquã humeris, & inutile ferrũ*
*Cingitur, & denſos fertur moriturus in hoſtes.*

Perpende quantam vim ſingula quæque epitheta hìc habeant. Tu itaque otioſa ne appone, aut abſona, aut intempeſtiva, aut nimis crebra, præſertim in humili ſtylo ; ſed ad rem appoſita, venuſta, ſonantia, ingenioſa, erudita etiam, quæ ſcilicet ad hiſtoriam aliquam alludant, aut fabulam : quòd ſi per metaphoram ſint deducta, ut [Mare iratum, Bellum furens, Gladius fidelis,] &c. venuſtiora erunt. Eandem habent venuſtatem, ſi prima fronte repugnantia videantur, ut [ Arma horrentia, ] hoc eſt, quæ horrorem incutiunt. [ Telum penetrabile, ] hoc eſt, penetrans.

Plura tamen epitheta uni ſubſtantivo ne facilè attribuas. Fecit id Virg. ſed rarò; ut *Æneid.* V.

*Lenis crepitans vocat auſter in altum.*

Non negaverint tamen, ad rei magnitudinem exprimendam, facere aliquando Epithetorum congeriē. Sic Virgil: *Æn*: III. de Poliphemo dixit:

*Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.*

Epithetorum penuriâ in condendo carmine nunquam laboraveris; ſi rei, cui velis epithetum attribuere, conſideres [ naturam, cauſas, effecta, locum, ſitum, tempus, mores, habitum, colorem, quantitatem, qualitates, ſimilitudines, ] cæteraſque ejuſmodi circumſtantias. Sed in hoc non immoror, cùm aut in Textoris epithetis, aut in Synonymorum theſauro, aut in Regia Parnaſſi plura rerum recenſeantur epitheta.

## C A P U T VII.

### *De Pedum concinnatione ad carminis venuſtatem.*

PEr rectam pedum, atque verborum diſpoſitionem, mirum eſt, quanta cuique verſuum generi venuſtas accedat. Sed quoniam primus Tironum labor eſt in ducendo Hexametro, atque Pentametro: de his ſolùm leges hìc aliquot dabo; dicturus de reliquis ubi de Lyrico carmine ſermo erit.

I. Cave, ne ſolutus ſit verſus; hoc eſt cujus pedes ſinguli ſingulis dictionibus concludantur: ut illud *Ennii*: *Spar-*

*Sparſis haſtis longis campus ſplendet, & horret.*

II. Contrà ſuaviter fluit, ſi finito pede pars adhuc aliqua dictionis ſuperſit, ad ſequentem pedem inchoandum: ut *Virg. Æn.* II.

*Infandum, Regina, jubes renovare dolorem.*

III. Vitio tamen non vertitur Hexametro, neque Pentametro, ſi primus ipſorum pes integra dictione concludatur; neque ſi ſimul cùm IV. vel V. pede dictio in Hexametro abſolvatur: ut *Ovid. El. I. Lib. I. Triſt.*

*Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt.*
*Me mare, me venti, me fera jactat hyems.*

IV. Hexameter verſus monoſyllaba, vel duplici diſſyllaba, vel tetraſyllaba, vel pentaſyllaba ne tam facilè concludatur: ut iſti:

Æn. IV. *Maſſylique ruunt equites, & odora canum vis.*

Æn. X. *Nunc manet inſontem gravis exitus; aut ego veri.*

Æn. I. *Pergama cùm peteret, inconceſſoſque hymenæos.*

*Dextera ſæva facem fumantem concutiebat.*

Poterit tamen per monoſyllabam terminari; quod fit ad explicandam ſono etiam verborum ſententiam, ut *Æn.* V.

*Sternitur, exanimiſque tremens procumbit humi bos.*

Id etiam obtinetur, cùm non unâ, ſed duplici monoſyllabâ concluditur. ut *Æn.* I.

*Explorare labor; mihi juſſa capeſſere fas eſt.*

Vel cùm fit eliſio ejus monoſyllabæ cum ſyllaba præcedente: ut *Virg. Ecl.* VI.

*Te nemus omne canet, nec Phœbo gratior ulla eſt.*

V. Ne crebriores fiant eliſiones in carmine; ut in illo Perſii:

*O curvæ in terras animæ, & cœleſtium inanes.*

Multæ tamen voces; pronomina præſertim poſſeſſiva, non ineleganter elidunt ultimam cum his monoſyllabis Es, Eſt, Et. e. g. *(navis.*

*Quaſſa tamen noſtra eſt; non merſa, nec obruta*
*Difficile eſt fateor, ſed tendit in ardua virtus.*
*Velle ſuum cuique eſt; nec voto vivitur uno.*

VI. Pentametri prima cæſura, quæ in medio carmine ſita eſt, dictionem concludat: in quo peccavit non ſemel Catullus; ut

*Ceſſarent, neque triſti imbre madere genæ.*

VII. Ejuſdem carminis neutra cæſura monoſyllaba vox ſit; præſertim ſecunda: ut illa *Catulli.*

*Nec ſciri utrùm ſis albus, an ater homo.*
*Aut facere hæc a te dictaque, factaque ſunt.*

Licet hoc tamen: ſi aut altera præcedit monoſyllaba, aut ſi cum ipſa ſyllaba præcedens eliditur: en exempla Ovidii:

*Magna tamen ſpes eſt in bonitate Dei.*
*Præmia ſi ſtudio conſequar iſta, ſat eſt.*
*Et ſolùm conſtans in levitate ſua eſt.*

VIII. Ut elegantiſſimè diſsyllabâ Pentameter clauditur, ita ſi per vocem trium, vel quatuor, vel quinq; vel etiam ſex ſyllabarum terminatur, non maximè jucundè ad aures accedit. Cæterùm ter-

terminationes iſtæ longiuſculæ ad exprimendas acutas, graveſque ſententias multùm accomodatæ, in Epigrammatis fugiendæ non ſunt: in Elegia verò, quæ plurimum amat ſuavitatis, niſi moderatè uſurpentur, in vitio erunt. En harum terminationum exempla:

Mart. *Deliciæ populi, quæ fuerant Domini.*
Mart. *Dantur opes nulli nunc, niſi divitibus.*
Proper. *Illis ampla ſatis forma pudicitiæ.*
Proper. *Protinus ingentes ſunt inimicitiæ.*

IX. In fine Pentametri nunquam participium præſens collocetur, ut:

*Confugit ad ſylvas gaudia ſolus amans.*

X. Neque tam facilè concludatur adverbio, aut conjunctione aliqua, ut illa Ovid.

*Urbe forent noſtra cùm Dea (ſenſit enim)*
*Quæque diu petiit, contigit arva tamen.*

XI. Poſtrema lex concinnandi ad venuſtatem carminis eſt, ſi numerus ipſe, atque ſonus cum natura rei explicandæ ita cohæreat, ut illi quaſi concinere videatur. Oportet itaque obſervare, quæ literæ, qui pedes, quæ carminis concluſio lætitiam, quæ triſtitiam, quæ tarditatem exprimant, rebuſque explicandis aptentur.

Primum elementum A. mollitie quadam carmen exhilarat: ut *Virg. Ecl.* II.

*Mollia luteola pingit vaccinia caltha.*

Valet etiam ad res grandes explicandas: ut *Virg. Æn.* VII.

*Ardet inexcita Auſonia, atque immobilis ante.*

E-

E. convenit lugentibus. *Virg. Æn.* II.

*Heu! quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt*
*Accipere?*

I. valet ad res exiles explicandas. Penetrantes aquas per navis rimas ſic explicat *Virg. Æn.* I.

*Accipiunt inimicum imbrem, rimiſq; fatiſcunt.*

O. maximè ſonorum eſt: res ſubitas benè etiam exprimit. *Virg. Æn.* V. de ſubita Palinuri morte:

*O nimium cœlo, & pelago confiſe ſereno.*

V. vaſtitatem ſonat, ut *Æn.* I. *Vaſtos volvunt ad litora fluctus.* valet etiam ad res clamoſas, & horriſonas exprimendas, ut *Æn.* IV.

*Tum plauſu, fremituque virûm, ſtudiiſque faventûm*
*Conſonat omne nemus, vocemque incluſa volutant*
*Litora.*

R. ut carmen aſperum facit; ſic ad exprimendas res difficiles, atque aſperas valet maximè. *Virg. Georg. III.*

*Ergo egrè raſtris terram rimantur.*

Crebri verò Spondæi, eliſiones, & verba longiora apta ſunt exprimendo dolori, tarditati, difficultati, vel etiam majeſtati: en exempla *Virg.*

Æn. VI. *Ibant obſcuri ſola ſub nocte per umbras.*

Æn. V. *Amiſſum Anchiſen flebant; cunctæquè profundum*
*Pontum aſpectabant flentes.*

Æn. VI. *Tum demum admiſſi ſtagna exoptata reviſunt.*

Æn. XII. *Vix illud lecti bis ſex cervice ſubirent.*

Æn. V. *Infelix ſaxis in procurrentibus hæſit.*

Æn. VI. *Porta adverſa ingens; ſolidoque adamante columnæ.*

Æn. III. *Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.*

Frequentes contra Dactyli; breviora verba, & raræ eliſiones ad celeritatem, vel lætitiam exprimendam valent: en *Virg.*

Æn. IX. *Ferte citi ferrum; date tela; ſcandite muros.*

Æn. VIII. *Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.*

Æn. IV. *Inde ubi clara dedit ſonitum tuba; finibus omnes*
*Haud mora proſiluere ſuis: ferit æthera clamor.*

Ecl. X. *Ite domum ſaturæ, venit heſperus, ite capellæ.*

Quod ſi alternis Dactylis, & Spondæis temperetur verſus, ſuaviter fluit, ut *Æn.* I.

*Arma, virumq; cano; Trojæ qui primus ab oris*
*Italiam fato profugus, Lavinaque venit, &c.*

Verſus, qui monoſyllabâ concluditur, rem ſtatim ſiſtit; aut ejus ſoliditatem, & granditatem ſignificat, aut rem labentem declarat: en *Virg.*

Æn. X. *Agnovit longè gemitum præſaga mali mens.*

Æn. X. *Hoſtem magnanimum opperiens, & mole ſua ſtat.*

Æn.

Æn. I. *Æole; namque tibi Divûm Pater, atque hominum Rex.*

Æn. II. *Spes Danaûm, fractæ vires, averſa Deæ mens.*

Æn. I. *Dat latus inſequitur cumulo præruptus aquæ mons.*

Æn. X. *Concurrunt; hæret pede pes, denſuſque viro vir.*

Hexameter Spondaicus, qui Dactylum a quinta ſede deturbatum in quartam rejicit; aut ad rem grandem, & majeſtate plenam, aut ad rem difficilem, vel mœſtam exprimendam valet: ut *Virg.*

Æn. IV. *Cara Deûm ſoboles, magnum Jovis incrementum.*

Æn. VIII. *Cum Patribus, populoque, Penatibus, & magnis Diis.*

Æn. III. *Cornua velatarum obvertimus antennarum.*

Æn. II. *Conſtitit, atque oculis phrygia agmina circumſpexit.*

## C A P U T VIII.

### *De Poëtica Dictione, ejuſque vitiis.*

DIctio poëtica non communem ſolùm loquendi rationem, ſed & oratoriam ſublimitatem, atque majeſtatem longè excedit: non enim res vulgari modo explicat, ſed reconditiore

re

re quadam arte, ſpirituque poëtico. Dixiſſet Orator: [ Gemini ſcopuli altè conſurgunt. ] at Vates cecinit:[Geminiquè minantur inCœlum ſcopuli:] Sic etiam dixiſſet ille : [ Somnum excutit, & vocat ſocios. ] & iterum Vates : [ Corripit e ſomno corpus, ſocioſque fatigat. ] Quibus in locutionibus vides neſcio quid ſecretum omnino a communi uſu loquendi, ac majeſtatem quandam præſeferens Poëtæ propriam.

Majeſtas iſta comparatur dictioni poëticæ per translata frequentia, per frequentem uſum troporum, per crebra epitheta, quæ aliquid eximii afferant, per formas loquendi exquiſitiores, quarum plures dedi *Cap. V.* per eruditionem fabularum poëticarum, per quandam denique loquendi licentiam, quæ poëticum ſpiritum præſeferat.

Cæterùm non æquè hæc omnia ubique a Poëtis uſurpantur: triplex enim eſt apud ipſos, uti apud Oratores, ſtyli ratio: Sublimis, Tenuis, & Medii. *Stylus ſublimis*, qui materiam tractat gravem, & grandem; majeſtatem poëticam ſibi totam vindicat, frequens eſt in ſententiis gravioribus, periodos productiores amat, figuraſque grandiores. *Stylus Tenuis* ad docendum potiùs, quàm ad concitandos affectus accommodatus; majeſtatem hanc temperat; refugit, quidquid inſolens eſt, quidquid intumeſcit, aut nimis eſt molle, & circumductum; colit quammaximè claritatem; verbis tenuioribus; & propriis magis, quàm translatis inhæret; cæſim, argutèque procedit;

par-

parcus eſt in uſu troporum, & figurarum, parcus in numero verſui comparando: facetiis enim, adagiis, argutiis, ingenuitate quadam condiri magis, quàm aliis ornamentis deſiderat. *Stylus* demum *Medius*, qui ad delectationem maximè ſpectat; mediâ incedit viâ inter Sublimem, & Tenuem; ab utroque quidquid ad delectationem, & cultum facit, ſibi vindicat; neglectis iis, quæ ſive ad movendum, ſive ad docendum pertinent.

Adverte tamen, unum, atque idem poëma non eodem ſemper ſtylo tractari; miſcentur enim hæ ſtyli diverſæ rationes ſæpe inter ſe, ac temperantur pro varietate rerum, quæ in ſingulis partibus pertractantur; pars enim illa, quæ grandem materiam tractat, ſublimem ſtylum poſtulat; quæ mediocrem, medium; quæ verò humilem, tenui ſtylo contenta eſt.

De Periodo verò poëtica id curato; ut oblongas periodos, exitumque non invenientes non inducas: neque contra laudatur (niſi fortè cùm vehemens aliquis affectus exprimitur) creber brevium periodorum uſus, quo incoſtans fit, ac ſubſultans oratio; ut eſt illud *Lucani de Antæo*:

*Ad ſomnos non terga feræ præbere cubile*
*Aſſuerunt, non ſylva torum: vireſq; reſumit*
*In nuda tellure jacens. Periere coloni*
*Arvorum Lybies: pereũt, quos appulit æquor,*
*Auxilioque diu virtus non uſa cadendi*
*Terræ ſpernit opes. Invictus robore cunctis,*
*Quamvis ſtaret, erat.*

Cæ-

Cæterùm ſatis ſit universè ſtatuere, periodum ultra X. aut XII. verſus excurrere non oportere; neque ita coarctandam; ut infra alterum, tertiumve ſubſiſtat. Claudatur plerumque cum ipſo verſu; nunquam verò poſt primam, aut penultimam dictionem: niſi vehemens affectus verba ibi, atque ſententiam ſuſpendat. Inciſa verò, atque membra in medio carmine venuſtiùs ſiſtunt. Sed quot inciſis, quot membris, quot carminibus concludi poëtica periodus debeat; ubi eam initium ſumere, ubi conſiſtere oporteat; faciliùs addiſces lectione Virgilii.

Vitia verò poëticæ dictionis, quæ vites, hæc ſunt potiſſimùm.

I. Obſcuritas, vitium familiare Tironibus; qui, dum metri gratiâ verborum ordinem plus æquo tranſponunt; non intelligitur omnino quid dicant. Caveant itaque, ne unius inciſi verba cum verbis ſequentis immiſceant. Quid clarius his verſibus?

*Titire, tu patulæ recubans ſub tegmine fagi,*
*Silveſtrem tenui muſam meditaris avena.*

Obſcuriſſimi fient, ſi eorum verba ſic immiſceas:

*Titire, ſilveſtrem recubans ſub tegmine muſam*
*Tu patulæ tenui fagi meditaris avena.*

II. Verba ſupervacanea, quæ a Tironibus, cùm eos pes aliquis deficit, aut ſyllaba, vocantur in ſubſidium carminis; quare & Fulcra dici conſuevere. Nihil his vocibus poteſt eſſe putidius.

III. Aſpe-

III. Aſperitas, quæ ex frequentia conſonantium aſperiorum conſurgit. Hæc, niſi fiat materiæ ipſius gratiâ aſperæ per ſe, atque duræ, vitãda eſt.

IV. Tumiditas, quæ ex geminatis ſine cauſa epithetis, vel ex verbis ſexquipedalibus, aut ex uſu audacioris metaphoræ, aut ſententiæ venit.

V. Humilitas, cùm ſcilicet nullis figuris, nullis verborum floribus, nulla poëtica venuſtate ſtylus excolitur; ſed pedeſter, familiaris inſtar ſermonis, maximè a poëtica dictione recedit.

VI. Hiatus, quem frequens vocalium, aut eliſionum concurſus, facit. ut illud Perſii.

*O curvæ in terras Animæ, & Cœleſtium inanes.*

VII. Monoſyllabarum concurſus, qui ſubſultantem verſum reddit, ut illud Ovid. *El.* I. *Lib. I. Triſt.*

*Si quis, qui, quid agam, fortè requiret, erit.*

## CAPUT IX.

### *De Figuris Poëticis.*

Figurarum aliquæ ad ornatum poëſeos faciunt; aliæ ad dimenſionem. Illas habet poëſis cùm ſoluta oratione communes: quare cùm fusè de iis egerim *Lib. I.* ubi de Elocutione dictum eſt; hìc tantùm aliquas, quæ apud Poëtas magis ſunt in uſu, eaſque breviter, enumerabo; has verò, quæ ad artem poëticam unicè pertinent, diſtinctiùs explicabo.

FI-

Digitized by Google

## Figuræ, quæ ad ornatum spectant.

### *Hyperbole*, ex gr: Ὑπερβολή.

FRequens eſt figuræ hujus uſus apud Poëtas: hujuſmodi ſunt illa Virgilii: [*Voces ad ſydera tollunt*. *Et ſydera verberat unda*. *Æquataque machina cœlo*. *Ingenti concuſſa eſt pondere tellus*. *Curſuque pedum prævertere ventos*. *Inſtar montis equum*] &c.

### *Repetitio*.

Figura hæc, quæ multum venuſtatis habet in carmine, multipliciter fit: I. cùm vox eadem initio verſus, eadem in fine ponitur. II. cùm vox, quæ præcedentem verſum inchoavit, abſolvit ſubſequentem. III. cùm, quæ antecedentem abſolvit, ſubſequentem inchoat. IV. cùm vox eadem in fine duorum verſuum collocatur. V. cùm eadem initio duorum verſuum ponitur. VI. cùm vox ſtatim, aut aliquibus verbis interpoſitis geminatur. En exempla.

Virg. Æn. I. *Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa.*

Ovid. El. IV. L. III. Amor. *Ilia pone metum; tibi regia noſtra patebit:*
*Teque colent omnes. Ilia pone metum.*

Virg. Æn. VI. *Deiphobum vidit lacerum crudeliter ora,*
*Ora, manuſque ambas.*

Ecl. X. *Surgamus; ſolet eſſe gravis cantantibus umbra.*

*Juniperi gravis umbra, nocet & frugibus ũbra.*
Æn. VI. *Ter conatus ibi collo dare brachia circũ;*
*Ter fruſtra comprenſa manus effũgit imago.*
Æn. IX. *Me, me, adſum, qui feci, in me convertite ferrum.*
Æn. II. *Arma, viri, ferte arma vocat.*

*Deſcriptio.*

Deſcriptione plurimùm delectantur Poëtæ. Eas omnes ad deſcribendum vias ineunt, quas docui *Inſt. III. Lib. I.* ſed maximè enumerando ea, quæ tunc temporis fiunt, cùm res eſt. Exemplum habes hìc in fine *Cap. VI.* Sed res etiam fictas deſcribere, poëtarum eſt proprium. Virg. *Lib. IV. Æn.* ſic Famam deſcribit:

*Fama malum, quo non aliud velocius ullum,*
*Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo.*
*Parva metu primo: mox ſeſe attollit in auras;*
*Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.*
*Monſtrum horrendum, ingens; cui quot ſunt corpore plumæ,*
*Tot vigiles oculi ſubter, (mirabile dictu.)*
*Tot linguæ, totidẽ ora ſonant, tot ſubrigit aures.* &c.

*Hypotypoſis*, ex gr: Ὑποτύπωσις.

Virgilianam Hypotypoſim de Didone ſeſe interficiente ſatis eſt ob oculos habere, ut videas quantum luminis hæc figura poëmati afferat. Eam habes *Æn. IV.*

*At trepida, & cœptis immanibus effera Dido,*
*Sanguineam volvẽs aciem, maculiſq; trementẽ*

T 2 *In-*

*Interfuſa genas, & pallida morte futurâ,*
*Interiora domûs irrumpit limina, & altos*
*Conſcendit furibunda rogos, enſemq; recludit*
*Dardanium, non hos quæſitum munus in uſus.*
*Hìc poſtquam Iliacas veſtes, notumq; cubile*
*Conſpexit; paulùm lacrymis, & mente morata,*
*Incubuitque toro, dixitque noviſſima verba:*
*Dulces exuviæ, &c.*
*Dixit; & os impreſſa toro: moriemur inultæ?*
*Sed moriamur, ait: ſic, ſic juvat ire ſub umbras.*
*Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto*
*Dardanus, & noſtræ ſecum ferat omina mortis.*
*Dixerat: atque illam media inter talia ferro*
*Collapſam aſpiciunt comites, enſemque cruore*
*Spumantem, ſparſaſq; manus. It clamor ad alta*
*Atria: concuſſam baccatur fama per urbem.*
*Lamentis, gemituque, & fœmineo ululatu*
*Tecta fremũt; reſonat magnis plãgoribus æther.*
*Audiit exanimis, trepidoque exterrita curſu,*
*Unguibus ora ſoror fœdans, & pectora pugnis,*
*Per medios ruit, ac morientem nomine clamat:*
*Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?*
*Hoc rogus iſte mihi, hoc ignes, aræque parabant?*
*Quid primùm deſerta querar? &c.*
*Sic fata, gradus evaſerat altos,*
*Semianimẽq; ſinu germanam amplexa fovebat*
*Cum gemitu, atq; atros ſiccabat veſte cruores.*
*Illa graves oculos conata attollere, rurſus*
*Deficit; infixum ſtridet ſub pectore vulnus.*
*Ter ſeſe attollens, cubitoque innixa levavit:*



Digitized by Google

*Ter revoluta toro eſt: oculiſque errantibus alto*
*Quæſivit cœlo lucem, ingemuitque repertá.*
*Tum Juno &c.*

*Aſyndeton*, ex gr: Ἀσύνδετον, & *Polyſyndeton*, ex gr: Πολυσύνδετον.

Aſyndeton ſingulis inciſis conjunctiones adimit; Polyſyndeton verò apponit: vim utraque non vulgarem comparat carmini: en exempla Virgilii:

Æn.IX. *Ferte citi ferrū, date tela, ſcādite muros.*
Ecl.IV. *Terraſq; tractuſq; maris, cœlūq; profundū.*

*Regreſſio*

Eſt, cùm ad verba dicta regreditur Poëta, factâ alterius verbi additione. Ovid. *in Epiſt. Phyll. Demoph.*

*Demophoon, ventis & vela, & verba dediſti.*
*Vela queror reditu, verba carere fide.*

*Congeries*

Varias perſonas, vel actiones, aut res enumerat hæc figura, & in unum congerit, multùmque valet ad vim carmini comparandam. Virg. *Æn. XII. de Turno.*

*Spes tu nunc una, ſenectæ*
*Tu requies miſeræ, decus, imperiumq; Latini*
*Te penes; in te omnis domus inclinata recūbit.*

*Dubitatio*

Delectat plurimùm figura hæc, dum incertum alicujus animum, & dubitantem, quid facere debeat,

beat, oſtendit: ut illud Didonis apud Virg. *Æn. IV.*

*En quid agam? rurſumne procos irriſa priores*
*Experiar? Nomadumq; petam connubia ſupplex?*
*Quos ego ſum toties jam dedignata maritos?*
*Iliacas igitur claſſes, atque ultima Teucrûm*
*Juſſa ſequar? quia ne auxilio juvat ante levatos?*
*Et bene apud memores veteris ſtat gratia facti?*
*Quis me autẽ (fac velle) ſinet? ratibuſq; ſuperbis*
*Irriſam accipiet? neſcis heu perdita; nec dum*
*Laomedonteæ ſentis perjuria gentis?*
*Quid tum? ſola fugâ nautas comitabor ovantes?*
*An Tyriis, omnique manu comitata meorum*
*Inſequar? & quos Sidonia vix urbe revelli,*
*Rurſus agam pelago? & ventis dare vela jubebo?*
*Quin morere, ut merita es, ferroq; averte dolorẽ.*

*Exclamatio.*

Maximam addit vim poëmati hæc figura: en tibi aliquot ex Virgilio Exclamationis exempla:

Æn. II. *Heu! quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt*
*Accipere? aut quid jam miſero mihi denique reſtat?*

Infra *O Patria! o Divûm domus Ilium! & inclita bello*
*Mœnia Dardanidûm!*

*Hypallage*, ex gr: Ὑπαλλαγὴ.

Figura eſt, qua ita verborum ſtructura convertitur: ut res contrario modo efferri videatur. Figura hæc Poëtarum propria, non infre-

quens eſt apud Virg. hic *Æn. IV.* dicturus; [ Cùm mors ſubduxerit animam ab artubus. ] ait:

*Et cùm frigida mors animæ ſubduxerit artus.*

*Æn. VIII.* dicturus [ Ignes ſopitos aris. ] ait: *Sopitas ignibus aras. Æn. XII.* pro: [ Cui plurimus ignis ſubjecit ruborem. ] ait: *Cui plurimus ignem ſubjecit rubor.* &c. Figura hac ne utatur adoleſcens; neque qui breve aliquod ſcribit poëma.

*Pleonaſmus*, ex gr: Πλεονασμὸς.

Eſt, cùm ſupervacanea vox apponitur: ſic Virg. *Æn. I. Et ſic* ore *locuta eſt.*

*Enallage*, ex gr: Εναλλαγὴ.

Eſt, cùm una pars orationis ponitur loco alterius, ut nomen pro adverbio. Virg. *Æn. VI. Bellua Lernæ* horrendùm *ſtridens.*

*Interrogatio*

Frequens eſt in quovis poëmate. Virg. *Æn. II.*

*Quæ tanta inſania, cives?*
*Creditis avectos hoſtes? aut ulla putatis*
*Dona carere dolis Danaum? ſic notus Vliſſes?*

*Proſopopæja*, ex gr: Προσωποποιΐα.

Figura hæc magno eſt nitori Poëmati. Ea perſonam, vel rem carentem ratione, vel etiam inanimem loquentem inducit. Virg. *Æn. IV.* ſic Didonem Æneæ fugam meditanti loquentem inducit:

*Diſſi-*

Digitized by Google

*Diſſimulare etiam ſperaſti, perfide, tantum*
*Poſſe nefas? tacituſque meâ decedere terrâ?*
*Nec te noſter amor, nec te data dextera quondã,*
*Nec moritura tenet crudeli funere Dido?*
*Quin etiam hyberno moliris ſidere claſſem,*
*Et mediis properas aquilonibus ire per altum*
*Crudelis? Quid, ſi non arva aliena, domoſque*
*Ignotas peteres? & Troja antiqua maneret?*
*Troja per undoſum peteretur claſſibus æquor?*
*Mene fugis? per ego has lacrymas, dextramque tuam te*
*Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam*
*Dulce meum: miſerere domûs labentis, & iſtam*
*Oro, ſi quis adhuc precibus locus, exue mentẽ.* &c.

## FIGURÆ, QUÆ VERSUUM DIMENSIONI INSERVIUNT.

### *Cæſura.*

CÆſura dicitur ea ſyllaba, quæ cæditur a præcedente dictione, ut cum ſequenti prima, vel primis ſyllabis integrum pedem componat. Hæc autem ſyllaba figuræ hujus beneficio produci poteſt, etiam ſi brevis ſit. Virg.

*Ecl. I. Titirus hinc* aberat: *ipſæ te, Titire, pinus.*

*Syſtole*, ex gr: Συστολὴ, & *Diaſtole*, ex gr: Διαστολὴ.

Syſtole eſt, cùm ſyllaba longa corripitur, ut illa [ Steterunt, Tulerunt, &c.] quod fit etiam abjectâ alterâ ex conſonantibus, ut *Obicis*, pro *Ob-*

*jicis.* Diaſtole contrà eſt, cùm ſyllaba brevis producitur: quod fit aliquando, geminata conſonante, ut illa: Relligio, Repperit, &c. En utriuſque figuræ exempla:

Æn. I. Italiam, Italiam *primus conclamat Achates.*

Æn. VI. *Illi autem paribus, quos* fulgere, *cernis in armis.*

*Ecthlipſis*, ex gr: Ε᾿κθλιψις.

Eſt eliſio neceſſaria literæ m. & præcedentis vocalis, ſequente dictione, quæ incipiat a vocali. Veteres hujuſmodi ſyllabas corripiebant potiùs, quàm elidebant. Lucret. *Lib. I.*

Corporum *augebit numerum, ſummamque ſequetur.*

*Synalœphe*, ex gr: Συναλοιφὴ.

Eſt eliſio etiam neceſſaria vocalis, aut diphtongi præcedentis, ſequente dictione, quæ incipiat a vocali. Hæ tamen particulæ: O, Heu, Ah, Hei, Hui conſueverunt minimè abſorberi. Virg. *Æn. X.*

*O Pater, o hominum, Divûmq; æterna poteſtas.*

Beneficio hujus, & præcedentis figuræ fit etiam colliſio poſtremæ ſyllabæ verſûs totius cum prima ſequentis; ſi hæc incipiat a vocali. ſic Virg. *Æn. VII. Jamq; iter emenſi, turres, & tecta* Latinorū
*Ardua cernebant juvenes.*

Æn. V. *Aptant remoſque*, rudenteſq;
*Exigui numero, ſed bello vivida virtus.*

*Dialœphe*, ex gr: Διαλοιφὴ.

Dialœphe contrà eſt, cùm vocalis, aut diphtongus

gus a ſequente vocali non eliduntur, ſed manent integra, retentâ quantitate ſuâ, vel etiam figuræ hujus beneficio immutatâ. ſic Virg. *Ecl. III.*

*Et ſuccus* pecori, *& lac ſubducitur agnis.*

Ecl. VIII. *Credimus, an* qui *amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt.*

*Synæreſis*, ex gr: Συναίρεσις, *& Diæreſis*, ex gr: Διαίρεσις.

Synæreſis eſt duarum ſyllabarum, quarum vocales, nulla conſonante interpoſita, diſtinguntur, in unam contractio. Diæreſis contra eſt unius ſyllabæ in duplicem reſolutio: en ambarum exempla ex Virg.

Æn. VII. *Aſſuetæ ripis volucres, & fluminis* (alueo.

Æn. VI. *Æthereum ſenſum, atque* aurai *ſimplicis ignem.*

*Protheſis*, ex græc: Πρόθεσις, *& Aphæreſis*, ex græc: (Ἀφαίρεσις.

Protheſis eſt, cùm principio dictionis aliquid additur, ut Gnati, pro Nati. Aphæreſis contrà, cùm aliquid demitur, ut Ruo pro Eruo; Pono pro Depono. ut Virg.

Æn. XI. *Dextera cauſa tua eſt, Turnum* gnatoque, *patrique.*

Æn. I. *Vela dabant læti, & ſpumas ſalis ære* ruebant.

*Syncope*, ex gr: Συγκοπὴ, *& Epentheſis*. ex gr: Ἐπένθεσις.

Syncope è medio dictionis aliquid ejicit, ut Divûm, pro Divorum; Periclis, pro Periculis. Epentheſis contrà addit, ut Relligio, pro Religio, Navita, pro Nauta.

Æn. III. *Deſeris heu tantis nequidquam erepte* periclis.

Æn.

Digitized by Google

Æn. VIII. *Fecerat,& viridi fœtam* Mavortis *in antro.*

*Tmeſis*, ex gr: Τμῆσις.

Dictionem dividit, voce aliqua interpoſita, ut *Inqueſalutatus* pro. Et inſalutatus. *Quitecumque* pro Quicumque te. &c. Virg.

Æn. V. Hac *celebrata* tenus *ſancto certamina pa-* (*tri.*

Æn. II. *Jamque adeo* ſuper *unus* eram, *cùm limina Veſtæ.*

*Apocope*, ex gr: Ἀποκοπή, *& Paragoge*, ex gr: Παραγωγή.

Apocope demit aliquid in fine dictionis, ut Hymen, pro Hymenæus; Tuguri, pro Tugurii. Paragoge contrâ addit, ut, Eludier, pro Eludi. Virg.

*Ecl.* I. *Pauperis &* tuguri *congeſtum ceſpite culmen.*

*Perſius. Sat*: I. *At pulcrum eſt digito monſtrari, &* dicier *hic eſt.*

*Metatheſis*, ex gr: Μετάθεσις, *& Antitheſis*, ex gr: Ἀντίθεσις.

Metatheſis ſyllabarum ordinem, aut litterarum invertit; ut, *Evandre*, pro Evander; *Timbre* pro Timber. Antitheſis verò literam in alteram mutat, ut *Olli* pro Illi. Virg.

*Æn.* X. *Nam tibi*, Timbre, *caput Evandrius abſtulit enſis.*

Æn. I. Olli *ſubridens hominum ſator, atque Deorum.*

*Helleniſmus*, ex gr: Ἑλληνισμός.

Eſt græci ſermonis imitatio ſive in verbis, ut, *Ilion*, pro Ilium, *Orphea*, pro Orpheum; ſive etiam

in

in ſintaxi, ut, *Certo tibi*, pro tecum. Virg.
*Ecl. V. Montibus in noſtris ſolus* tibi *certet Amyntas.*

*Archaiſmus*, ex gr: Α᾽ρχαϊσμὸς.

Eſt Veterum imitatio in iis, quæ jam in uſu non ſunt; ut, *Abſente nobis*, pro Abſentibus nobis. *Me indulgeo*, pro Mihi indulgeo. *Neminem noceo*, pro Nemini noceo.

Quoad uſum demum harum figurarum, quæ dimenſioni inſerviunt, ſcito, non licere recentioribus eas uſurpare in aliis verbis, præterquam in iis, in quibus veteres adhibuere: quin & his parcè, nec ſine gravi cauſa utendum; præſertim in poëmate breviori.

## CAPUT X.

### *Quid facto opus ſit, cùm ad poëma conſcribendum accedimus.*

PRimò Poëmatis genus tibi ſelige aptum tuis viribus; tecumque ipſe reputa quid ferre humeri valeant, quid recuſent: ne impar ferendo oneri ſuccumbas, aut rem grandem jejunè, & pueriliter tractes. Cùm primò ad Parnaſſum veneris brevem narrationem, aut deſcriptionem condere contentus eſto: deinde cùm aliquid profeceris, Epigramma deſcribito: tertiò Elegiam aliquam, aut Eclogam, aut Odam facito: tum ad breve Poëma ex ſilvis petitum venito: demum aude, at-

atque Epopæjam aggreditor, quod poëmatum omnium primum eſt. Cæterùm in hac electione habenda eſt ingenii cujuſcumque ratio; aliqui enim ad Epigrammata, alii ad Elegias, alii ad Odas, alii ad Epopæjam deſcribendam nati eſſe videntur: neque unquam aliquem fuiſſe ſcimus, qui in quovis genere carminum optimus extiterit. Tu, quò te fert ingenium, illuc maximè contendito.

Secundò, ſelecto carminis genere, atque materiâ, Poëtam veterem, qui in ea poëſi, quam tibi propoſueras, floruit, ſtudiosè, & attentè perlege; atque inſtar apum ſcrutare ſelectiſſima quæque, & adnota: quo fit, ut animus ideas aptas, ſpecies, formas, furorem denique poëticum bibat; quæ deinde ad uſum transferantur. Poëtæ omnium optimi ſunt in Epopæja, Ecloga, atque Georgicis Virgilius; in Elegiis Ovidius; in Odis Horatius; in Epigrammatis Martialis; in Jambis, & Endecaſyllabis Catullus; in Comædiis Plautus; in Silvis Statius.

Tertiò meditare ſedulò de futuri operis forma, atque ſtructura; illudque ſuas in partes diſtribue eo ordine, quem rerum natura poſtulat; decernens, quid tibi primo loco dicendum ſit, quid ſecundo, quid tertio, quid reliquis; remque totam ita in ſua capita digeſtam ſimpliciſſimo ſtylo adnota.

Quartò de ſimilitudinibus, narrationibus, deſcriptionibus, fictionibus, affectibus, argumentis, digreſſionibus, proſopopæiis, figuriſque omni-

omnibus, quæ ad rei amplificationem, atque ornatum faciunt, attentè cogita; eaque omnia ita velis diſtributa, ut ſuum quodque locum decenter teneat, parteſque omnes cohæreant.

Quintò ad compoſitionem accede, prælecto tamen identidem Poëta vetere; quò ejus ſtylum in tuum Poëma derives, ut potes. Curato tamen interea, ut dictio perſpicua ſit, & terſa, epitheta apta, ſtylus rei accomodatus, partes omnes aptè connexæ, totuſque poëmatis ductus coſtans, ſibique cohærens.

Sextò, perfecto opere, finito, ut illud dies aliquot quieſcat; quibus elapſis, ſemel, iterum, ac tertiò idem opus relegito, recognoſcito, emendato, donec judicio tuo caſtigatum ſatis ſit. At verò neque tunc operis integritati ſatis conſultum eſſe exiſtimato; niſi priùs illud exercitatiſſimi in hac arte hominis cenſuræ, atque caſtigationi ſubjeceris; & pro ejus judicio multa dempſeris, addideris, immutaveris: quod ubi fiet, tum demum ut in lucem prodeat permittito.

Sed tamen non ſatis hactenus proſpectum eſt ſterilitati, qua in ducendis carminibus premuntur adoleſcentes; niſi complures hìc ſubjiciam Tranſitionum, & inchoandi formulas a Virgilio decerptas, quæ ſint illis præſidio, non modò cùm ex una in alteram partem gradum facere oportuerit; ſed & cùm hæſerint ſub ipſum initium, quin eos ſubeat, quo pacto inchoent poëma; vel cùm erit aliquid amplificandum; aut explicandum; aut indu-

ducenda figura aliqua; aut veniendum ad digreſſionem; aut aliud exhibendum; tunc enim, ſi ſterile ingenium nihil habuerit, quod rei explicandæ ſit aptum; has formulas perlegant, in quibus facilè aliquid invenient, quod in rem cadat: quòd ſi primò nihil aptum offenderint, legant iterum accuratiùs omnes; dabit enim profectò iterata lectio, quod in prima non facilè deprehenderant. Eæ verò ſunt.

*Fama eſt Enceladi ſemiuſtum fulmine corpus.*
*Jamque dies, alteraque dies proceſſit.*
*Ut vidêre virum.*
*His demum exactis.*
*Ergo agite, & cuncti lætum celebremus honorem.*
*Eſt procul in pelago.*
*Id verò horrendum, & viſu mirabile.*
*Haud procul inde.*
*Tunc ſic affatur Regem.*
*Olli ſedato reſpondit corde Latinus.*
*Extemplo turbati animi.*
*Verùm age, quandoquidem ſatis urgemur.*
*Vix è conſpectu exierat.*
*Hæc memorans animo nunc huc, nunc fluctuat illuc.*
*Namque ferunt.*
*Septima poſt Trojæ excidium jam vertitur æſtas.*
*Quis probibet muros jacere.*
*Jam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.*
*Sic prior alloquitur.*

*Prob*

*Proh ſcelus! ecce etiam.*
*Parte aliâ media Eumedes in prælia fertur.*
*Turnus ut Æneam cedentem ex agmine vidit.*
*Hìc Venus indigno nati concuſſa dolore.*
*Et jam fama volans tanti prænuncia luctûs.*
*Hos inter motus medio flagrante tumultu.*
*Inde ubi tot traxiſſe moras, tot ſpicula tædet.*
*Sic effata, ſinum lacrymis implevit.*
*Fortè fuit juxta tumulus.*
*Eja age, rumpe moras.*
*Vade age, nate, voca Zephyros.*
*Nec verò hæ ſine ſorte datæ, ſine judice ſedes.*
*Dicam equidem, nec te ſuſpenſum, nate, tenebo.*
*Heu pietas! heu priſca fides!*
*Ut primùm fari potuit, ſic incipit ore.*
*Accepit vocem lacrymis Lavinia.*
*Obſtupuere animis alii.*
*Talibus inter ſe dictis ad tecta ſubibant.*
*Circùm omnes, famulûmque manus, trojanaque turba.*
*At procul ut diræ ſtridorem agnovit.*
*Haud ſegnes alii.*
*Sic ait illacrymans.*
*Parte alia horrendus viſu.*
*Nec minùs interea maternis ſævus in armis.*
*Hic verò Alcides furiis exarſerat.*
*Hæc ubi dicta, dapes jubet.*
*At verò Rutulis impar ea pugna.*
*Turris erat vaſto ſuſpectu, & pontibus altis.*
*Tum ſic pauca refert.*

Subſti-

Digitized by Google

*Subſtitit Æneas, & ſe collegit.*
*Nox erat, & terras.*
*Tum verò aſſurgunt iræ.*
*Stabat in egregiis Arcentis filius armis.*
*Jam magis, atque magis, ſerpitque per agmina murmur.*
*Surge age, nate Deâ.*
*Sic memorat, geminaſque legit de claſſe biremes.*
*Dii, quibus imperium pelagi.*
*Hei mihi! quid tanto turbantur mœnia luctu?*
*Ergo ut miſſa manu ſonitum dedit haſta.*

---

# INSTITUTIO II.

## *De unoquoque Poëmate ſingulatim.*

INſtitutio hæc in novem Capita diviſa aget I. De Epigrammate, II. De Buccolicis, III. De Elegia, IV. De Georgicis, V. De Satyra, VI. De Lyrica poëſi, VII. De Epica poëſi, VIII. De Dramate, IX. De Silva: quorum poëmatum ea dicam, quæ ſunt neceſſaria ſcitu. De Epigrammate verò, Ecloga, & Elegia, (quoniam in his ſolet primus adoleſcentium labor collocari;) eorum gratiâ plura dicam.

CA-

# CAPUT I.

## *De Epigrammate.*

### ARTICULUS I.

#### *Epigrammatis notio.*

SI ſpectes quid Epigramma nunc valeat, dicas eſſe: [ Breve poëma unum aliquid venuſtè indicans, & ex eo aliud venuſtiùs etiam, & acutiùs deducens. ] Quibus verbis nulla, ut vides, definitur Epigrammati regio, nulla certa materia, extra quam ludere non poſſit: quidquid enim rerum eſt, aut factorum, aut perſonarum, quæ laudari, reprehendi, narrari, decerni, fierive poſſunt, id omne apta eſt Epigrammati materia.

Scribi hoc poëma etſi quovis poſſit verſuum genere; Martialis tamen plerumque utitur Elegiaco: frequenter etiam Phaleucio endecaſyllabo, qui conſtat Spondæo, Dactylo, & tribus Choræis, ut *L.* IV. *Ep.* LXXVII. [Nunquam divitias.] nec infrequenter ſolo Jambico ſcazonte, cui ſex ſunt pedes: I. & III. Spondæi, vel Jambi, vel Dactyli, vel Anapeſti: II. & IV. Jambi, vel Tribrachi: V. Jambus, VI. Spondæus ut *L.* II. *Ep.* XI. [Quod fronte.] Alio autem carminis genere perquàm raiò utitur; ut ſolo Hexametro heroico *L.* I. *Ep.* LIV. [Una eſt] aut Jambico trimetro, & dimetro alternatis; qui in locis paribus, & imparibus eos pedes

admittant, quos in ſuis primis quatuor admittit Scazon. ut *L.* I. *Ep.* L. [ Vir Celtiberis.] vel Jambico ſcazonte, & Jambico dimetro alternatis, ut *L.* I. *Ep.* LXII. [ Verona docti. ] vel demum genere quodam Phaleucii, quod Anapeſtum pedem Phaleucii, Dactylo præmittit; ut *L.* III. *Ep.* XXIX. [ Has cum gemina. ]

Cæterùm cùm Epigramma ſcribis Elegiaco carmine; cura ut ſerves ea, quæ de venuſtate Hexametri, & Pentametri dicta ſunt *Inſtit.* I. *Cap.* VII. Præterea fac, ut ita cum quovis Pentametro abſolvatur ſententia, ut illud poſſit poſt ſe recipere punctum, vel duo puncta; vel ſaltem, abſoluto membro, coma, & punctum: nunquam tamen remaneat ita pendens ſententia, ut vel nullam interpunctionem; vel ſolum coma patiatur. Legem hanc in Elegiis etiam ſervatam voles.

Breve præterea eſſe debet Epigramma: quare I. paucis carminibus concludatur, quatuor, ſex, duodecim. Et quamvis Catullus, & Martialis, quos Epigrammatum magiſtros habemus, ad 40. etiam verſus aliquando excurrant; id tamen rarum eſt, & ſolùm in Endecaſyllabis, quorum brevitas majorem verſuum profuſionem patitur: in Elegiacis verò uterq; eſt moderatior. II. Nihil in eo ſit, quod demi poſſit, quin pereat ejus integritas, perſpicuitas, aut venuſtas: quòd ſi aliquid erit hujuſmodi, longum dicam, etſi Diſticho concludatur: poterat enim unico ſcribi verſu, ut illud Mart. *Lib.* VII. *Ep.* XCVII.

Omnia

*Omnia, Caſtor, emis: ſic fiet, ut omnia vendas.*

Sed ſuave potiſſimùm ſit oportet. Hiatus itaque, aſperitas, obſcuritas, humilitas ſtyli, aut effracta tumiditas, quidquid denique vitii eſt, accuratè vitetur: res enim puſilla, quæ uno intuitu perſpicitur, quanta eſt; niſi ſe totam commendet, ſuaſque partes omnes venuſtè componat; meritò reprehenditur. Demptis vitiis, jucundi quidquid eſt, admittit; Tropos, Figuras omnes, præſertim Hypotipoſim, Proſopopæjam, Apoſtrophen, Admirationem, motus animi, etiam vehementes, eruditionem aliquam non vulgarem, aut aliquid antiqui moris, aut ritûs, narrationes, fabellas, compellationes, allocutiones etiam ſecum, ſexcentaque ejuſmodi; (quorum omnium ornamentorum exempla plura mox in hoc Cap. invenies.) Sed nihil Epigrammati venuſtatem magis comparat, quàm arguta concluſio, de qua infra.

## ARTICULUS II.

### *Epigrammatis ſtructura.*

DUæ ſunt Epigrammatis partes. *Expoſitio*, atque *Concluſio*. Illa rem exponit, quæ materiam dedit Epigrammati; hæc arguti aliquid ex illa deducit.

Expoſitio non eodem modo ſemper fit: vel enim per ſimplicem narrationem proponitur; ut ſolet Martialis; vel per figuram aliquam;

præcipuè Interrogationem , Exclamationem, Admirationem , Apoſtrophen , Similitudinem, &c. Hæc tamen expoſitio ita ſemper ſit, ut in ipſa per quædam occulta argutiæ ſemina prudenter jacienda ſternatur via ad argutiam, quæ ex iis ſeminibus ducta, veluti in germen inopinatum erumpat; inopinatum, inquam, at non coactum, vel a præmiſſis alienum; ſed ita ſponte ſua fluens; ut legentis animus certis quibuſdam notionibus præparatus, in argutiam incidat, tanquam in rem novam quidem, ſed ab indicatis minimè ſejunctam. En expoſitionē Martialis *Ep*.LXVIII. *L*.XI.

*Nil mihi das vivus: dicis poſt fata daturum.*

En ingenioſiſſimam concluſionem ſponte ſua fluentem:

*Si non es ſtultus, ſcis, Maro, quid cupiam.*

Res, quam tractat Expoſitio, una, atque ſimplex ſit, minimèque negotioſa, ne officiat brevitati. Nihil tamen moræ eſt, quò minùs in ipſa expoſitione arguta quædam admiſceat Poëta, quæ acumine ſuo legentem feriant ſimul, atque decipiant, ibi finem interdum eſſe exiſtimantem, ubi finis non eſt, Mart. *Lib*.VIII. *Ep*. LV.

*Auditur, quantum Maſſyla per avia, murmur;*
*Innumero quoties ſilva leone furit:*
*Pallidus attonitos ad Pœna mapalia paſtor*
*Cùm revocat tauros, & ſine mente pecus:*
*Tantus in Auſonia fremuit modò terror arena:*
*Quis non eſſe gregem crederet? unus erat.*

Hactenus quàm venuſtè! quàm argutè! quis non pu-

oportet hìc finem eſſe Epigrammati? addit tamen Poëta plura alia Diſticha, quorum poſtremo venuſtè Epigramma concludit.

Altera Epigrammatis pars eſt Concluſio, quæ tanti eſt, ut ex ea, quid valeat Epigramma, exiſtimemus: ſi enim humilem, frigidamque expoſitionem excipiat elegans, & feſtiva concluſio, totum Epigramma commendatur. Venuſtas verò concluſionis ſita eſt in Argutia, qua oportet Epigramma concludi. De argutia itaque nunc dicendum.

## ARTICULUS III.

### *De Epigrammatis Argutia.*

ARgutia, quæ anima, ſpiritus, & ſuccus eſt Epigrammatis, definiri poteſt: [ Brevis, & ingenioſa ſententia, quæ ex præmiſſis, ſed præter expectationem deducta, in ſui admirationem animum rapit. ] Quatuor in ea ſerventur: I. Ingenioſa ſit præter cætera, ſolers, & acuta. II. Aliquid afferat diverſum omnino ab iis, quæ in expoſitione dicuntur. III. Soluta non ſit, ſed illata, & ſequens veluti ſponte ſua ex jam dictis. IV. Brevibus verbis concluſa ultimum in Epigrammate locum teneat. Hæc faciunt ad metiendam argutiæ bonitatem: ad ejus verò uſum juvat noſſe: I. in quo ſita ſit. II. Qua arte inveniatur. III. Quo modo proponatur.

## ARTICULUS IV.

### *In quo ſita ſit Argutia.*

QUidquid in loquendo expectationem fallere, & animum in ſui admirationem rapere poteſt, ( in quo demum argutia ſita eſt; ) id omne ad IV. Capita commodè revocatur: quorum primum voco a *Repugnantibus*, ſecundum ab *Alienatis*, tertium a *Comparatis*, quartum a *Luſibus*. Juvat hæc ſingulatim explicare.

*Caput a Repugnantibus.*

Argutiam a Repugnantibus tunc habebis; cùm rem aliquam cum altera, quæ videtur illi eſſe repugnans, propones ut conjunctam, & ab ea minimè diſſidentem. Sic Viſio, atque Cœcitas repugnant inter ſeſe: at de cœcitate D. Pauli, qua cùm Damaſcum iret, affectus eſt, argutè diceres, per eam ita ipſum vidiſſe, ut nunquam antea; ( divina ſcilicet, ac ſuperna. ) Verùm argutiæ a Repugnantibus ductæ multiplex eſt uſus.

Fit I. cùm de re eadem duo repugnantia ſimul affirmes, aut neges ſimul: ut ſi de nocte natali Chriſti Jeſu dicas, noctem eam ſimul fuiſſe, atque diem, qua ſcilicet natus eſt Sol divinus: hyemem, atque ver, quo flos iſte erupit integerrimus: ſic Mart. *Lib. II. Ep. XII. ad Poſthumum.*

*Eſſe quid hoc dicã, quòd olent tua baſia myrrhã?*
*Quòdque tibi eſt nunquam non alienus odor?*

*Hoc*

*Hoc mihi ſuſpectum eſt, quòd oles bene, Poſthume, ſemper*
*Poſthume, non bene olet, qui bene ſemper olet.*

Fit II. cùm de diverſis rebus duo repugnantia ita affirmes, aut neges unum de una, alterum de altera; ut prima fronte dici debere oppoſitum videatur: ut ſi de Epulone illo Evangelii dicas, pauperem illum ſuas inter divitias fuiſſe, Lazarum verò in ſua paupertate divitem. Mart. *Lib. VIII. Ep. LIV. ad Cæſarem.*

*Magna licèt toties tribuas, majora daturus*
*Dona, ducum victor, victor & ipſe tui;*
*Diligeris populo non propter munera, Cæſar;*
*Propter te populus munera, Cæſar, amat.*

Fit III. cùm de duobus, quæ videntur inter ſe repugnare, unum affirmes de altero; ut ſi divitem dicas eorum paupertatem, qui ſe ultro rebus omnibus abdicârunt. Mart. *Lib. X. Ep. LXIX. ad Pollam.*

*Cuſtodes das, Polla, viro; non accipis ipſa.*
*Hoc eſt uxorem ducere, Polla, virum.*

Fit IV. cùm idem de ſe ipſo negas: ut ſi dicas, eorum, qui ſcelerum ſuorum conſcientiâ excruciantur, quietem ipſam ſine quiete eſſe. Mart. *Lib. II. Ep. LXXX. de Fannio.*

*Hoſtem cùm fugeret, ſe Fannius ipſe peremit.*
*Hic, rogo, non furor eſt, ne moriare, mori?*

Fit V. cùm de rebus inter ſe oppoſitis æquè idem affirmas; ut ſi de calvo homine, atque de capillato dicas, neutrum capillos ſuos dinumera-



Digitized by Google

re potuiſſe Mart. *Lib. IX. Ep. VI. de Paulla paupere, & Priſco divite.*

*Nubere vis Priſco: non miror, Paulla, ſapiſti.*
*Ducere te non vult Priſcus: & ille ſapit.*

*Caput ab Alienatis.*

Argutiam ab Alienatis deduces, cùm rem vel a ſe ipſa, vel a ſtatu ſuo, vel a propria ſignificatione alienaveris, aliquid ab ea alienum loco proprii ſubſtituendo: ut ſi diceres, Ciceronis linguam avulſam etiam Antonium reprehendiſſe; quod ab homine mortuo alienum eſt. Hoc etiam Caput efferri multipliciter poteſt.

Fit I. cùm a re aliqua rem ipſam, ejus videlicet naturam, aut proprietates alienaveris: ut ſi dices, te ex medicina ægrotaſſe, vel ex calore rigere. Mart. *Lib. V. Ep. IX.*

*Languebam; ſed tu comitatus protinus ad me*
*Veniſti centum, Symmache, diſcipulis.*
*Centum me tetigere manus aquilone gelatæ.*
*Non habui febrem, Symmache; nunc habeo.*

Fit II. cùm alienatâ a re cauſâ ejus, aut effectu, novam cauſam, aut effectum ingenioſè profers: ut ſi de imagine S. Brunonis diceres, eam locuturam, niſi ſua ſilendi regula teneretur. Mart. *Lib. V. Ep. LXXIV. ad Theodorum.*

*Non donem tibi cur meos libellos*
*Oranti toties, & exigenti*
*Miraris, Theodore? magna cauſa eſt:*
*Dones tu mihi ne tuos libellos.*

Fit

Fit III. cùm a legibus, moribus, conſuetudine, modo, ordine, loco, vel tempore aliquid alienaveris: ut ſi de Puero Jeſu dicas; eum quò magis nudum, hòc magis ardere. Mart. *Lib. X.* Ep. VIII. *de Paulla* alienat a conſuetudine.

*Nubere Paulla cupit nobis: ego ducere Paullam*
*Nolo: anus eſt. Vellem, ſi magis eſſet anus.*

Fit IV. cùm dictionem aliquam a propria ſignificatione alienaveris, & ad aliam ingenioſè tranſduxeris: ut ſi de inepto Oratore dicas, verè ipſum auditores movere; quòd omnes, eo dicente, diſcedant. Mart. *Lib. V.* Ep. *LXXVI. de Quinto*, qui Lege Julia adactus uxorem duxerat.

*Quæ legis causâ nupſit tibi Lælia, Quinte;*
*Uxorem potes hanc dicere* legitimam.

*Caput a Comparatis.*

Capitis hujus uſus eſt, cùm inſtituis inter duo comparationem aliquam, quæ obvia non ſit; vel ſit aliquo ſale condita: ut ſi de tenebris Chriſti Domini morte obortis, Chriſtum cum Sole conferendo dicas, meritò enaſci tenebras occidente Sole. Argutia hinc deducta, & ipſa poteſt eſſe multiplex.

Fit I. cùm duo, quæ diſparia ſunt, inexpectata aliqua ſimilitudine compares inter ſe; quòd proprietatem aliquam ingenioſè oſtendis eſſe utrique communem: ut ſi de Poëta, qui verſus a Veteribus furetur, dicas eum eſſe Veteribus ſimillimum, quòd eoſdem omnino verſus faciat.

Lau-

Laudatur maximè ſimilitudo, cùm petenti aliquid reſpondes per ſimilitudinem, per quam aliud verbis, aliud ſenſu ſignifices. Mart. *Lib. VII. Ep. XXXIII. ad Severum.*

*Quo poſſit fieri modo, Severe,*
*Vt vir peſſimus omnium Charinus*
*Vnam rem benè fecerit, requiris?*
*Dicam, ſed citò. Quid Nerone pejus?*
*Quid thermis melius Neronianis?*

Fit II. ſi de duobus ſimilibus illud præfers, quod cenſetur non eſſe anteferendum: ut ſi Luſitanum militem dente pro glande uſum cum Sampſone conferas, qui maxillam adhibuit, illique anteferas. Mart. *Lib.* II. *Ep. LXXV. de Leone*, qui pueros interemit.

*Exclamare libet: Crudelis, perfide, prædo,*
*A noſtra pueris parcere diſce Lupa.*

Fit III. ſi duo, quæ ſimilia cenſentur, in aliquo diſparia eſſe ingenioſè oſtendas: ut ſi dicas, vitam hominis maximè ſimilem eſſe navis actæ a tempeſtate: in eo tamen diſtare; quòd hæc ſerenitatem aliquando, ea verò nunquam experitur. Mart. *Lib.* VIII. *Ep.* XXXV. *ad Conjuges.*

*Cùm ſitis ſimiles, pareſque vitâ,*
*Vxor peſſima, peſſimus maritus;*
*Miror non bene convenire vobis.*

Fit IV. ſi idem compares cum ſe ipſo, collatione rerum aut ſimilium, aut diſſimilium, quæ rei inſunt; ex qua comparatione ingenioſum aliquid deducatur: ut ſi de D. Alexio dicas, æquè eum ſuo-

ſuorum oblitum; ſive fugeret, ſive rediret ad ſuos. Mart. *Lib.* I. *Ep. XX. ad Æliam.*

*Si memini fuerant tibi quatuor, Ælia, dentes:*
*Expuit una duos tuſſis, & una duos.*
*Jam ſecura potes totis tuſſire diebus.*
*Nil tibi quod tollat tertia tuſſis habet.*

*Caput a Luſibus.*

In Luſu ſita eſt argutia, cùm fit aliquis luſus in verbis; is verò multiplex eſt.

Fit I. cùm vox, vel ſententia omnino immutata nunc in una ſignificatione, mox verò in altera uſurpatur: ut ſi de homine, qui ære alieno premitur dicas, eum quò plùs habet alieni æris, hòc minùs æris habere, (nempe proprii.) Mart. *Lib.* III. *Ep. LXI. ad Cinnam.*

*Eſſe nihil dicis, quidquid petis, improbe Cinna.*
*Si nil, Cinna, petis; nil tibi, Cinna, nego.*

Fit II. cùm per levem vocis inflexionem diverſa ſignificatio, ſed ingenioſa enaſcitur: ut ſi de Avaro dicas, non eum famæ ſuæ, nec alterius fami conſulere. Mart. *Lib. XI. Ep. XIX. ad Lupum.*

*Donaſti, Lupe, rus ſub urbe nobis:*
*Sed rus eſt mihi majus in feneſtra.*
*Rus hoc dicere, rus potes vocare?*
*Argutæ tegit ala quod cicadæ,*
*Quod formica die comedit uno. &c.*
*Erraſti, Lupe; litterâ ſed unâ:*
*Nam quo tempore prædium dediſti,*

*Mal-*

*Mallem tu mihi prandium dediſſes.*

Fit III. cùm ad aliquid alluditur antiqui moris, aut ritûs, aut ad fabulam, hiſtoriam, vel ſimilia: ut ſi de Naſcente Jeſu dicas, jam non mentiri Poëtas, qui toties Deos e cœlo in terram traxere. Mart. *ad morem* ſic alludit *Lib.* III. *Ep. XII. ad Fabullum.*

*Unguentum, fateor, bonum dediſti*
*Convivis here; ſed nihil ſcidiſti.*
*Res ſalſa eſt benè olere, & eſurire.*
*Qui non cœnat, & ungitur Fabulle,*
*Hic verè mihi mortuus videtur.*

Et *Lib.* IV. *Ep.* LIX. de Vipera electro incluſa ſic ad hiſtoriam ingenioſè alludit.

*Ne tibi regali placeas, Cleopatra, ſepulchro;*
*Vipera ſi tumulo nobiliore jacet.*

Fit IV. cùm ingenioſa aliqua ſententia concluditur Epigramma: Mart. *Lib.* IV. *Ep. LXXXI. ad Mathonem*, ſic concludit: *Res eſt magna tacere, Mathon.*] & *L.* VIII. *Ep.* XXIV. *ad Cæſarem.*

*Si quid fortè petam timido, graciliquè libello,*
*Improba non fuerit ſi mea charta, dato.*
*Et ſi non dederis, Cæſar; permitte rogari.*
*Offendunt nunquam thura, preceſque Jovem.*
*Qui fingit ſacros auro, vel marmore vultus,*
*Non facit ille Deos: qui rogat, ille facit.*

AR-

## ARTICULUS V.

### *Qua arte inveniatur Argutia.*

POſtquam noſti, in quo ſita ſit argutia; ut condendo epigrammati illam invenias, ſic facito: Rem, quæ dedit argumentum, inſpice diligentiùs, ac verſa per locos omnes rhetoricos, quos *Lib. I. Inſt. IV. Cap. I. Art. II.* recenſui; atque in eorum ſingulis ſiſte, remque tuam in eo loco conſidera; inveſtigando ſcilicet nunc ejus *Definitionem*, nunc *Partes*, nunc *Cauſas* ſingulatim, nunc *Effecta*, *Conjugata*, &c. quæ dum altè inſpicis, verſaſque animo, facile erit in aliquo ex iis locis aut *repugnantiam* aliquam ingenioſè conciliatam, aut *alienationem* argutam, aut *comparationem*, aut *luſum*, quæ ſapiant ingenium, invenire: neque ulla erit tam ſicca, tam ſterilis, tam jejuna materia, quæ hac ratione attentiùs perſpecta, plures, ac plures argutias non ſufficiat. Ut verò res magis innoteſcat, ad Martialis exempla veniamus.

*Lib. XI. Ep. LXXXVII.* ad Parthenopæum per locum a *Definitione* rei ducit argutiam ab *Alienatione* cauſæ.

*Leniat ut fauces medicus, quas aſpera vexat*
*Aſſiduè tuſſis, Parthenopæe, tibi;*
*Mella dari, nucleoſq; jubet, dulceſq; placentas,*
*Et quidquid pueros non ſinit eſſe truces.*

*At*

*At tu non ceſſas totis tuſſire diebus:*
*Non eſt hæc tuſſis, Parthenopæe; gula eſt.*

*Lib. XII. Ep. LIV. in Zoilum* per locum ab *Enumeratione* partium, ducit argutiam a *comparatione* rei cum ſe ipſa:

*Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læſus.*
*Rem magnam præſtas, Zoile; ſi bonus es.*

*Lib. VIII. Ep. XX. ad Varum* per locum ab *Adjunctis* perſonæ, quæ plura ſcribens, nihil recitabat; ducit argutiam a *Repugnantibus:*

*Cùm facias verſus nulla non luce ducenos,*
*Vare, nihil recitas. Non ſapis, atque ſapis.*

*Lib.* XXX. *Ep. III. in* Epitaphio *Philæni* per locum ab *Abjunctis* loci ducit argutiam a *Luſu*, alludens ad effatum illud: [Sit tibi terra levis.]

*Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena;*
*Ne tua non poſſint eruere oſſa canes.*

*Lib.* I. Ep. XXXIV. *de Gellia* per locum ab *Adjuncto* temporis, quo Gellia patrem deflebat, ducit argutiam a *Luſu* per ſententiam.

*Amiſſum non flet, cùm ſola eſt Gellia, Patrem:*
*Si quis adeſt; juſſæ proſiliunt lacrymæ:*
*Non dolet hic, quiſquis laudari, Gellia, quærit.*
*Ille dolet verè, qui ſine teſte dolet.*

*Lib.* I. Ep. XIV. *de Aria, & Pæto* per locum ab *Adjuncto* amoris Ariæ in Petum, ducit argutiam ab *Alienatis.*

*Si qua fides; vulnus, quod feci, non dolet, inquit;*
*Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.*

*Lib. Spectac. Ep. X. de Leone*, qui, quod guberna-

natorem læſiſſet, telis confoſſus eſt; per locum a *Conſequentibus*, nempe a pœna, ducit argutiam a *Comparatis*.

*Quos decet eſſe hominũ tali ſub Principe mores,*
*Qui jubet ingenium mitius eſſe feris?*

*Lib. I. Ep. VII. de Leone*, cujus in ore Lepus ludebat, per locum a *Cauſa* efficiente, vel auctore ejus rei, ducit argutiam a *Comparatis*.

*Quæ majora putas miracula? ſummus utrique*
*Auctor adeſt: hæc ſunt Cæſaris, illa Jovis.*

*Lib. I.* Ep. *CX. de Iſſa catella Publii* per locum a *Cauſa* formali ducit argutiam a *Comparatis*.

*Iſſam denique pone cum tabella:*
*Aut utramque putabis eſſe veram,*
*Aut utramque putabis eſſe pictam.*

*Lib.* VII. E*p.* II. *ad Pontilianum* per locum a *Cauſa* finali ducit argutiam a *Comparatis*.

*Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?*
*Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.*

*Lib.* I. E*p.* XLVIII. *de Diaulo* per locum ab *Effectis* ducit argutiam ab *Alienatis*.

*Nuper erat medicus, nunc eſt veſpillo Diaulus:*
*Quod veſpillo facit, fecerat & medicus.*

## ARTICULUS VI.

### *Qua arte proponatur Argutia.*

ARgutia quæcumque, etiam levis, atq; vulgaris, ſi ingenioſe efferetur, grandeſcet quodam-

dammodò, & maximè animum feriet. Prima itaque omnium cura ſit, ita per narrationem ſtravisſe ad argutiam viam, ut hæc inexpectata omnino veniat: quo fiet, ut maximè admiretur. Mart. *Lib.* VI. E*p.* LI. dicturus Luperco, qui nunquam eum invitaverat, ſe venturum ad cœnam, ſi vocaretur; vide quàm bellè animos ita narratione præparat; ut inexpectata maximè veniat clauſula, quæ nudè propoſita langueret.

*Quòd convivaris ſine me tam ſæpe* Luperce;
*Inveni, noceam qua ratione tibi.*
*Iraſcar, licèt uſque voces, mittaſque, rogeſque:*
*Quid facies, inquis? quid faciam? veniam.*

Cùm verò plena eſt ingenio; poterit argutia ſimpliciter, & per nudam expoſitionem efferri; quod familiare eſt Martiali: ſic L*ib. II.* E*p.* XX. *de Paullo:*

*Carmina Paullus emit: recitat ſua carmina Paullus:*
*Nam quod emas; poſſis dicere jure tuum:*

Et L*ib. I.* E*p. CXI. ad Velocem.*

*Scribere me quereris, Velox,* E*pigrammata longa.*
*Ipſe nihil ſcribis: tu breviora facis.*

Cæterùm, ut argutia ſplendidior ſit; per figuram aliquam efferatur. e. g. per ſimplicem *Interrogationem* ut L*ib. XII.* E*p. CI. ad* E*ffrontem.*

*Os atavi, patruì naſum, duo lumina patris,*
E*t matris geſtum dicis habere tuæ.*
*Cùm referas priſcos, nullamq; in corpore partem*
*Mentiris; frontem, dic mihi, cujus habes?*

Vel

Vel per *Interrogationem*, cui vates ipſe reſpondeat. ut *Lib. V. Ep. XLIV. de Thaide, & Lecania.*

*Thais habet nigros, niveos Lecania dentes.*
*Quæ cauſa eſt? emptos hæc habet, illa ſuos.*

Vel per *Exclamationem*; ut *Lib. XI.* Ep. *XCIV. de Theodoro Poëta inepto.*

*Pierios Vatis Theodori flamma Penates*
*Abſtulit. Hoc Muſis, hoc tibi, Phœbe, placet?*
*O ſcelus! o magnum facinus, crimenq; Deorum,*
*Non arſit pariter quòd domus, & dominus!*

Vel per *Optationem*; ut *Lib. IV.* Ep. *XXIV. ad Fabianum*

*Omnes, quas habuit, Fabiane, Lycoris, amicas*
Ex*tulit. Uxori fiat amica meæ.*

Vel per *Correctionem*; ut *Lib. XI. Ep. XCIII. ad Zoilum.*

*Mentitur, qui te vitioſum, Zoile, dicit.*
*Non vitioſus homo es, Zoile, ſed vitium.*

Vel per *Disjunctionem*; ut *Lib. I.* Ep. *XCII. ad Lælium.*

*Cum tua non edas, carpis mea carmina, Læli.*
*Carpere vel noli noſtra, vel ede tua.*

Vel per *Repetitionem*, non modò verborum; præſertim ſi ſint nomina propria (quod frequentiſſimum eſt in Epigrammate;) verùm etiam ſententiarum; ut *Lib. I. Ep. XXXIII. ad Sabidium:*

*Non amo te, Sabidi, nec poſſum dicere, quare.*
*Hoc tantùm poſſum dicere: Non amo te.*

Vel per patheticam *Interjectionem*; ut *Lib. II. Ep. I. ad Librum ſuum.*

*Eſſe tibi tanta cautus brevitate videris:*
*Hei mihi, quàm multis ſic quoque longus eris!*

Vel per *Rogationem*; ut *Lib. II. Ep.* XXV. *ad Gallum.*

*Das nunquam, ſemper promittis, Galle, roganti:*
*Si ſemper fallis, jam rogo, Galle, nega.*

Vel per *Conceſſionem*; ut *Lib. II. Ep.* LXXXVIII. *ad Mamercum.*

*Nil recitas, & vis, Mamerce, Poëta vocari.*
*Quidquid vis, eſto; dummodo nil recites.*

Ad hujus capitis ſummam, multiplicem claudendi Epigrammatis viam ex Martiale Adoleſcentibus aperio.

## Formulæ proponendi Argutias.

*Diſce, quod ignoras-*
*O factum bene-*
*Erravi, fateor-*
*Dedecet-*
*Expedit-*
*Nunc, & damna juvant, ſunt ipſa pericula tãti.*
*Nimirum timuit noſtras fortuna querelas.*
*Debuerat-*
*Quid mirum?*
*Nil mirum ....*
*Non miror-*
*Deſine mirari-*
*Mirandum ſanè-*
*Exclamare libet, ſi-*
*Si neſcis-*
*Non eſt, crede mihi-*
*Tu tibi ne placeas-*
*Priſca fides taceat-*
*Quis neget eſſe?*
*Res nova-*
*Non potuit melius litem finire jocoſam.*
*I nunc, & ſiquis adeſt-*
*Plus eſt perdomuiſſe feras.*
*Tanti non es-*

*Si*

Digitized by Google

*Si non erraſſet, fecerat ille minus.*
*Vis fieri ſanus? ſume-*
*Hei mihi, quàm-*
*Si bene te novi-*
*Aut vive, aut-*
*Non eſt hæc tuſſis, gula eſt-*
*Carpere vel noli noſtra, vel ede tua.*
*Vis, dicam, quid ſis?*
*I, fuge, ſed poteras tutior eſſe domi.*
*Dum numerat palmas, credidit eſſe ſenem.*
*Vos tamen o noſtri-*
*Parce, Pater-*
*Velle, inquis-*
*O fruſtra locuples-*
*Quæ ratio eſt?*
*Serò dedit pœnas-*
*Quare ego non ludo?*
*Dic, precor, o noſtri-*
*Sed lugere nefas-*
*Nulla velint alii-*
*Dii ſervate, precor-*
*Si licet, ut debes-*
*Soſpite te-*
*Quid prodeſt?*
*Sæcula vicerunt-*
*Heu Nero crudelis!*
*Hæc meruit-*
*Hoc tibi pro meritis-*
*Scire libet verum-*
*Laudo, nec admiror-*
*Non nihil ergo ſumus.*
*Sed jam parce mihi-*
*Si levis iſta tibi flagrorum cauſa videtur.*
*Scire piget poſt tale decus, quid fecerit ante.*
*Magna nimis loquimur-*
*Ergo quid? ut donet-*
*Tolle tuas artes-*
*Quid non longa dies, quid non conſumitis anni?*
*Parendum eſt monitis-*
*Sidera ſi poſſent-*
*Quærite, qui malint-*
*Multum, crede mihi, refert-*
*Convivas alios cœnarum quære.*
*Dignus es, ut poſſis-*
*Non opus eſt nobis-*
*Ardua res hæc eſt-*
*I nunc livor edax-*
*O quàm tu cupies.*
*O ſcelus, o magnum*



Digitized by Google

*facinus!*
*Barbara non debet-*
*Nunc licet, & fas eſt-*
*Da veniam-*
*Elige, quid nolis-*
*Quid narras?*
*Magna quidem petimus-*
*Quid non ſæva tibi voluit fortuna licere.*
*Si nimis eſt legiſſe duos, tibi charta plicetur.*
*Decipies alios verbis-*
*Sors mea quàm fratris melior-*
*Quantum erat-*
*Si ridere potes-*
*Eja, age, rumpe moras-*
*Magna licèt dederis-*
*Hac ratione poteſt nemo non eſſe diſertus.*
*Nil bene cùm facias-*
*Si licet, excuſes-*
*Quis faceret pretium?*
*Deſperanda tibi eſt ingentis gloria fati.*
*Falleris, & neſcis-*
*Major te certè fama eſt, & gloria fati.*
*Si qua fides.*
*Unde poteſt avidus-*
*Quæ majora putas miracula?*
*Vix puto-*
*Contigit hoc nullo, niſi te ſub Principe, Cæſar.*
*Cauſa eſt tale nihil-*
*Quantus eras-*
*Ominor-*
*Auguror-*
*Quæ fuerat fabula, pœna fuit.*
*An voluit?*

CA-

# CAPUT II.

## *De Bucolico Carmine.*

## ARTICULUS I.

### *Bucolici Carminis notio.*

BUcolicum carmen, quod Eclogam vulgò dicimus, eſt [Imitatio actionum ruſticarum, & humilium Hexametro carmine propoſita.] Hujus poëſeos materia ſunt res ruſticæ, ac per ſe tenues, ut cantus, joci, jurgia, infortunia, amores, ſed candidi illi, & innocentes, ſomniorum interpretationes, capellarum paſcua, temporum varietates, pluviæ; quidquid demum habitâ decori ratione fieri poteſt, aut dici a paſtoribus, & ab hominibus ruſticis; modò intra fines contineatur humilis argumenti. Non negaverim, poſſe ad ſublimius argumentum Eclogam aliquando aſſurgere: tunc verò illud, ut ingenio paſtoris accommodet Poëta, vel transfert allegoricè ad actionem aliquam paſtoralem: (ſic Virg. *Ecl. IX.* ſub Mœris nomine ſe deſignat de poſſeſſionibus ſuis tranſpadanis prope Mantuam recuperandis cum quodam Arrio contendentem;) vel ſi apertè proponit; (quis enim neget paſtores etiam de Regibus, de Bello, de Victoriis, de Hiſtoria aliqua poſſe diſſerere? cùm præſertim extent apud

Virgilium exempla.) curat, ut ſit actio Eclogæ ſecundaria, non principalis; quæque eo ſtylo, iis verbis, atque ſimilitudinibus tractetur; quibus par eſt de rebus hujuſmodi paſtores agere.

Ad materiam hujus carminis pertinent etiam Meſſorum, Olitorum, Aucupum, Venatorum, & Piſcatorum actiones; etſi ratione vitæ magis difficilis, & actuoſæ, vix poſſe videantur collocutionibus, & cantilenis indulgere; niſi fortè exacto jam opere.

Triplex verò eſt Ecloga: Narrativa, Activa, & Mixta. *Narrativa* eſt, qua Poëta per narrationem exponit, quod factum, dictumve eſt inter paſtores; ut eſt *Ecl. II. Virg. Activa* eſt, quæ plures paſtores inter ſe colloquentes, & agentes inducit; ut eſt *Ecl. I. Virg. Mixta*, quæ utrumque præſtat: ut eſt *Ecl. VII. Virg.*

## ARTICULUS II.

### *Ars ſcribendi Bucolici carminis.*

FAbula, ſive fictio ruſticarum actionum; quæ totam excipit Eclogam, neceſſe eſt, ut ſit una: ut apud Virg. jurgium inter Menalcam, & Damœtam; amor Coridonis; cantus Menalcæ, & Mopſi; &c. præterea ſit ſimplex, & facilis, minimèque negotioſa, aut implicata mutationibus inſperatis: id enim majoribus poëmatis competit, non Bucolico.

Po-

Poteris exordiri fabulam vel per ipſa paſtorum colloquia; ut Virg. *Ecl. III.*

*Dic mihi, Damœta: cujum pecus? an Melibœi?*

Vel per rei propoſitionem, de qua erit agendum in Ecloga; ut Virg. *Ecl. VIII.*

*Damonis muſam dicemus, & Alpheſibœi.*

Vel ex aliqua circumſtantia loci, temporis, perſonæ, &c. ut Virg. *Ecl. VII.*

*Fortè ſub arguta conſederat ilice Daphnis.*

Vel per muſæ, aut Numinis invocationem; ut Virg. *Ecl. X.*

*Extremũ hunc Arethuſa mihi concede laborem.*

Quod faciliùs fiet, ſi magnum aliquid auſerit Ecloga; ut Virg. *Ecl. IV.*

*Sicelides muſæ paulò majora canamus.*

Narratio verò fabulæ, quæ uſque ad finem producitur, ea ſit, ut paſtoris ingenium omnino exprimat; aut ejus perſonæ, quam inducimus: ita ut res non aliter à paſtore fieret, aut diceretur, quam exprimitur a Poëta.

Sed Narrationis hujus virtutes tres ſunt: Simplicitas, Brevitas, & Suavitas.

*Simplicitas* eſt tum Sententiæ, tum Dictionis. Sententia familiaris ſit, & obvia, par moribus paſtorum: cultum omnem nimis exquiſitum exuat, ornatu facilè parabili contenta: ſenſa mentis non habeat magnopere exquiſita, aut nimis ingenium redolentia: ſententias vix ullas edat: apud Virg. unam, aut alteram tantùm invenies, nec eam ſine cenſore: nihil in ea ſit nimis implicitum, nihil

turbulentum; ſed ſuavia omnia, atque pacata. Mores ſint inelegantiores; ut hominum, qui rudem vitam agunt: tribuenda eſt itaque ſententiæ ruſticitas quædam, humilitas, & affectata etiam ignorantia rerum earum, quæ non tam facilè paſtoribus innoteſcunt: ſic laudi vertitur Virgilio, quod *Ecl. III.* Menalcam ſuum oſtenderit nomen ignoraſſe noſtri Archimedis:

*In medio duo ſigna, Conon, & quis fuit alter?*
*Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem,*
*Tēpora quæ meſſor, quæ curvus arator haberet.*

Vide quàm bellè hiſtoriolam hanc omnino appoſitè ad paſtoris ingenium, ſimplicitatemque deſcribat: & *Ecl. I.* ſic habet:

*Vrbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putavi*
*Stultus ego huic noſtræ ſimilē, quo ſæpe ſolemus*
*Paſtores ovium teneros depellere fœtus.*
*Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hœdos*
*Nōram: ſic parvis componere magna ſolebam.*
*Verùm hæc tantùm alias inter caput extulit urbes;*
*Quantùm lenta ſolent inter viburna cupreſſi.*

Quid tota hac ſententia candidius? quid magis ruſticorum ſimplicitati accomodatum?

Dictio verò nitida ſit, atque facilis quàm maximè: inſolentiam omnem tumentium verborum, aut translatorum vehementem audaciam, omnem demum granditatem, quæſitumque anxiè cultum refugit: quin & in ipſo verſuum numero non nimis ſolicitè, & ſuperſtitioſè laborat: ſic fiet, ut om-

omnia cum paſtoritia ſimplicitate conſentiant.

*Brevitas* ne tàm curetur in numero verſuum, (qui horæ unius ſermocinationem nunquam excedant;) ut in ſtylo, qui conciſus ſit, non fuſus, nec circumductis locutionibus implicatus; ſed ſucci plenus plura paucis claudat; & dum intelligatur, quod dicit; plura ſemper intelligantur, quàm dicit. En quàm multa paucis Virg.

*Ecl. VIII. Mopſo Niſa datur? Quid non ſperemus amantes?*

Et *Ecl. I. Barbarus has ſegetes? en quò diſcordia cives*
*Perduxit miſeros!*

Scias itaque tibi temperare, cultor parſimoniæ in dicendo; ſummam laudem in brevitate ſitam eſſe in animum inducas: quin & frequentes morulæ, & inciſa dicendi ratio frequenter orationem interſiſtant: non enim ea eſt Ecloga, ut multa continenti ſpiritu ſine reſpiratione dici patiatur.

*Suavitas* demum Eclogæ paratur I. per aptam paſtoris imitationem, quæ verbis, phraſibus, modiſque loquendi utatur maximè ad id genus hominum appoſitis. En aliquot exempla: Virg. *Ecl.* VIII. Damonem, & Alpheſibœum canentes ſic laudat:

*Immemor herbarum quos eſt mirata juvenca*
*Certantes, quorum ſtupefactæ carmine Lynces,*
*Et mutata ſuos requierunt flumina curſus.*

Et *Ecl.* IV. ætatem auream redituram ſic per res ruſticas exprimit: *Molli*

*Molli paulatim flaveſcet campus ariſta;*
*Incultiſque rubens pendebit ſentibus uva;*
*Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.*

Et infrà:

*Non raſtros patietur humus, non vinea falcem;*
*Robuſtis quoq; jam tauris juga ſolvet Arator.*

II. Paratur per dictionem mundam omnino, atque latinam, quæ etſi humili ſtylo contenta eſt; non tamen patitur, ut, imitandi gratiâ paſtorum ignorantiam, quid barbarum, aut ruſticum interſeras affectatè.

III. Per frequentes ſimilitudines ex agris deductas; en quas habet Virgilius ſolâ *Ecl. V.*

*Lenta ſalix quantùm pallenti cedit olivæ,*
*Puniceis humilis quantùm ſaliunca roſetis;*
*Judicio noſtro tantùm tibi cedit Amyntas.*

Et infrà:

*Tale tuum carmen nobis, divine Poëta;*
*Quale ſopor feſſis in gramine* &c.

Et infrà *v.* LXXXI.

*Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona?*
*Nam neque me tantùm venientis ſibilus auſtri,*
*Nec percuſſa juvant fluctu tam litora,* &c.

Eſt & alter uſus ſimilitudinis per figuram Adjunctionem, quo idem verbum pluribus reſpondet membris, gradationem quandam referentibus; ut *Ecl. III.*

*Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres,*
*Arboribus venti; nobis Amaryllidis iræ.*

Et

Et Ecl. V.

*Vitis ut arboribus decori eſt, ut vitibus uvæ,*
*Ut gregibus tauri, ſegetes ut pinguibus arvis;*
*Tu decus omne tuis.*

Sed & elegantiùs Ecl. VII.

*Fraxinus in ſilvis pulcherrima, pinus in hortis;*
*Populus in fluviis, abies in montibus altis.*
*Sæpius at ſi me Lycida formoſe reviſas,*
*Fraxinus in ſilvis cedet tibi, pinus in hortis.*

Sed Ecl. II. majori cum venuſtate membra hæc ſimilia inter ſe ſunt connexa:

*Torva leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellā;*
*Florentem cythiſum ſequitur laſciva capella;*
*Te Corydon, o Alexi.*

IV. Per jucundam, candidamque verborum repetitionem; ut Ecl. VIII.

*Has herbas, atq; hæc ponto mihi lecta venena*
*Ipſe dedit Mœris: naſcuntur plurima ponto.*

Et Ecl. IX.

*Cantantes licet uſque (minùs via lædet) eamus.*
*Cantantes ut eamus, ego hoc te faſce levabo.*

Præſertim verò ſi nomina ſint propria: ut Ecl. VII.

*Compulerantque greges Corydon, & Thyrſis in unum,*
*Thyrſis oves, Corydon diſtentas lacte capellas.*

Et infra:

*Ex illo Corydon, Corydon eſt tempore nobis.*

Repetitio hæc etiam integri carminis eſſe poteſt: ſic Ecl. III. bis Virgilius hoc carmen repetit;

*Nec dum illis labra admovi, ſed condita ſervo.*

Quæ

Quæ carminis integri repetio frequentior eſt, ubi cantilenam aliquam more ſuo concinit paſtor aliquis: ſic *Ecl.* VIII. octies hoc carmen reponit:

*Incipe mænalios mecum mea tibia verſus.*

Quod demum ſic immutat:

*Deſine mænalios, jam deſine tibia verſus.*

V. Per figurarum ornatum, affectuumque variationem, quorum etſi violentiores non admittit; amat tamen mitiores, qui molli huic, ac tenero carmini magis conſentiunt; ut ſunt Timores, Amores, Commiſerationes, Æmulationes, dulces Rixæ, & his ſimilia, in quibus perbellè rerum inanimatarum interrogationes adhibentur; ut Virg. *Ecl. V. Vos coryli teſtes, & flumina.* & *Ecl. II. Et vos, ò lauri, carpam & te proxima myrte*: vel rebus etiam inanimis ſenſus inducitur: ut idem *Ecl. VI. Te nemus omne canet.*

& *Ecl. I.* *Ipſæ te, Tityre, pinus,*
*Ipſi te fontes, ipſa hæc arbuſta vocabant.*

VI. Per formulas quaſdam exprimendorum impoſſibilium, (quæ exaggerandi ratio vulgaris eſt homini ruſtico) ductas tamen a rebus etiam ruſticis: ſic Virg. *Ecl. I.*

*Antè leves ergo paſcentur in æthere cervi,*
*Et freta deſtituent nudos in litore piſces;*
*Antè, pererratis amborum finibus, exul*
*Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,*
*Quàm noſtro illius labatur pectore vultus.*

Et

Et *Eccl.* VIII.

*Jungentur jam Gryphes equis, ævoque ſequenti,*
*Cùm canibus timidi venient ad pocula damæ.*

Et eâdem *Ecl. v.* LII.

*Nunc & oves ultro fugiat lupus: aurea duræ*
*Mala ferant quercus*: &c.

Demum quidquid eſt leporis, munditiei, amœnitatis, cultùs, ac gratiarum, id omne, reſecto tamen faſtu, rerumque granditate, Bucolico carmini ſciat maximè convenire is, qui hanc navare operam volet.

Poteſt aliquando Eclogæ adnecti Epilogus, quo ſive ab Adjunctis loci, & temporis, ſive alterius rei, quæ facienda inſtet, narratio intermittitur, & carmen abſolvitur. Sic Virg. *Ecl.* IX.

*Deſine plura puer, & quod nunc inſtat, agamus.*
*Carmina tum meliùs, cùm venerit ipſe, canemus.*

Et *Ecl. II.* ob temporis defectum ſermonem obtruncat:

*Et jam ſumma procul villarum culmina fumant,*
*Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ.*

*Ecl.* verò VIII. per Apoſtrophen ad carmina ſic abſolvit:

*Parcite, ab Vrbe venit, jam parcite carmina, Daphnis.*

Et E*cl.* X. per Apoſtrophen ad Capras:

*Ite domum ſaturæ, venit Heſperus, ite capellæ.*

Juvat etiam hîc complures formulas tranſitionum aptas Bucolico carmini, ab Eclogis Virgilii

gilii decerptas, ſubdere, quas ſtudioſus adoleſcens, ne eum deficiant ſenſa animi, quæ explicet, ac ſterilitate rerum prematur, attentè percurrat.

Ex *Ecl.* I.

*O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit.*
*Non equidem invideo; miror magis-*
*Hìc inter denſas corylos-*
*Sæpe malum hoc nobis prædixit-*
*Namque (fatebor enim) dum me-*
*Mirabar quid mœſta Deos Amarylli vocares.*
*Tityrus hinc aberat-*
*Quid facerem?*
*Hìc illum vidi Juvenem-*
*At nos hinc alii ſitientes ibimus Afros.*
*Inſere nunc Melibœe pyros-*

Ex *Ecl.* II.

*Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis*
*Fiſtula-*
*Huc ades, o formoſe puer-*
*Eheu quid volui miſero mihi?*
*Quem fugis ah demens?*

Ex *Ecl.* III.

*Dic mihi, Damœta, cujum pecus?*
*Parciùs iſta viris tamen objicienda memento.*
*Non ego te vidi-*
*Tityre coge pecus-*
*Si neſcis, meus ille caper fuit-*
*Nunquam hodie effugies-*
*Efficiam, poſt hac ne quemquam voce laceſſas.*

*Quin*

*Quin age, ſi quid habes-*
*Dicite: quandoquidem molli conſedimus herba.*
*Incipe Damœta, tu deinde ſequere Menalca.*
*Parcite oves nimium procedere-*
*Cogite oves pueri-*
*Non noſtrum inter vos tantas componere lites.*

Ex *Ecl. IV.*

*Non omnes arbuſta juvant, humileſque myricæ.*
*Si canimus ſilvas, ſilvæ ſint Conſule dignæ.*
*At tibi prima, puer, nullo munuſcula cultu*
*Errantes hederas-*
*Non raſtros patietur humus; non vinea falcem.*
*Aggredere o magnos (aderit jam tẽpus) honores.*
*Aſpice convexo-*
*Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus.*

Ex *Ecl. V.*

*Incipe Mopſe prior-*
*Sed tu deſine plura puer.*
*Tale tuum carmen nobis-*
*Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona?*
*At tu ſume pedum-*

Ex *Ecl. VI.*

*Paſcere oportet oves-*
*Agreſtem tenui meditabor arundine muſam.*
*Non injuſſa cano-*
*Te nemus omne canet-*
*Namque canebat, uti magnum-*
*Quid loquar aut Scyllam Niſi-*
*Ille canit, pulſæ referunt ad ſidera valles.*

*Co-*

*Cogere donec oves ſtabulis-*

Ex *Ecl.* VII.

*Fortè ſub arguta conſederat ilice Daphis.*
*Huc mihi, dum teneras defendo frigore myrtos-*
*Huc ades ò Melibœe-*
*Et ſi quid ceſſare potes-*
*Huc ipſi potum venient per prata juvenci.*
*Alternis igitur contendere verſibus ambo*
*Cœpere-*
*Hîc arguta ſacrâ pendebit fiſtula pinu-*
*Siqua tui Corydonis habet te cura-*
*Immo ego Sardois videar tibi amarior herbis.*
*Ite domum paſti, ſi quis pudor, ite juvenci.*
*Hîc focus, & tedæ pingues-*
*Omnia nunc rident.*
H*æc memini, & victum-*

Ex *Ecl.* VIII.

*Damonis muſam dicemus-*
*En erit, ut liceat-*
——————————— *accipe juſſis*
*Carmina cœpta tuis-*
*Incumbens tereti Damon ſic cœpit olivæ.*
——————————— *dum deſpicis omne,*
*Dumque tibi eſt odio mea fiſtula-*
*Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error.*
*Nunc ſcio, quid ſit amor-*
*Nunc & oves ultro fugiat lupus-*
H*æc Damon. Vos, quæ reſponderit Alpheſibœus*
*Dicite Pierides.*
*Carmina vel cœlo poſſunt deducere lunam-*

*Ag-*

Digitized by Google

*Aggrediar, nihil ille Deos, nil carmina curat.*
*Neſcio quid certè eſt-*
*Credimus!*

Ex *Ecl.* IX.

*Quò te Mœri pedes?*
*Certè equidem audieram-*
*Audieras, & fama fuit-*
*Heu cadit in quemquam tantum ſcelus?*
*Quis caneret Nymphas?*
*Incipe, ſi quid habes-*
*Id quidem ago, & tacitus-*
*Hîc ver purpureum, varios hîc flumina circùm*
*Fundit humus flores-*
*Sed tamen iſta ſatis-*
*Hinc adeo media eſt nobis via-*
*Hîc hœdos depone-*
*Deſine plura puer-*

Ex *Ecl.* X.

*Extremum hunc Arethuſa mihi concede laborem.*
*Dum tenera attondent ſimæ virgulta capellæ.*
*Ecquis erit modus?*
*Atque utinam ex vobis unus-*
*Hæc ſat erit, Divæ, veſtrum cecinisse Poëtam.*
*Surgamus; ſolet eſſe gravis cantantibus umbra.*

# CAPUT III.

## *De Elegia.*

### ARTICULUS I.

*Elegiæ notio, & materia.*

ELegia eſt [ Poëſis, quæ, Hexametro, & Pentametro verſu alternatim poſitis, actiones, & affectus hominum effingit fuſiore ſtylo ] Differt ab Epigrammate in hoc, quòd Epigramma & brevius poëma eſt; & certum metrum non habet: Elegia verò & latiùs ſeſe effundit, & non admittit niſi Hexametrum, & Pentametrum verſum.

Materiam Elegiæ dedere initio res mœſtæ, atque lugubres: progreſſu verò temporis ad res quaſcumque, ſecundas etiam, & optatas traducta eſt Elegia: ſic Ovidius non triſtia modò ſex illis libris Triſtium, & de Ponto complexus eſt elegiaco carmine; ſed & epiſtolas complures Heroidum, & artem, & remedia amoris, & feſtivas, jucundaſque narratiunculas, ut in Eleg. de Nuce, & Pſittaco, & narrationes etiam graves, ac ſerias in Faſtis.

In ea verò, quæcumque demum ſit, vel perſonam ſuam tenet Poëta, vel ſumit alienam; ( ut Epiſtolares Elegiæ omnes, in quibus Author Epiſtolæ loquitur, non Poëta) vel etiam utramque.

AR-

Digitized by Google

## ARTICULUS II.

### *Elegiæ Partes.*

TRes dici poſſunt ejus partes: Exordium, Amplificatio, Epilogus.

### *Exordium.*

Statim ipſo initio argumentum aperit Elegia; ſed longè alia ratione, atque Epopœja: hæc enim apertè, & diſtinctè, quid ſit canendum, proponit: Elegia verò latenter, atque ita interdum diſſimulanter, ut non facilè Poetæ conſilium dignoſcatur: ſic Ovid. *lib. II. Triſt.* Cæſarem rogaturus, ut ſibi aliquando parceret, per Apoſtrophen ad ſuos libellos exorſus eſt.

*Quid mihi vobiſcum eſt, infelix cura, libelli,*
*Ingenio perii qui miſer ipſe meo?*

Apertiùs etiam mentem ſuam exponere licebit Vati: ita idem *lib. IV. Triſt.* & *lib.* I. excuſaturus libros ſuos Triſtium, ſi quid in eos vitii irrepſerit, ait:

*Si qua meis fuerint, ut erunt, vitioſa libellis:*
*Excuſata ſuo tempore Lector habe.*

Sed & permittitur aliquando loco exordii diſtincta argumenti propoſitio inſtar Epopœjæ: ita Propertius fabulam Tarpejæ explicaturus cecinit:

*Tarpejum nemus, & Tarpejæ turpe ſepulcrum*
*Fabor, & antiqui limina capta Jovis.*

Propoſitionem tamen iſtiusmodi apertam, ſimplicem, & maximè patentem in iis tantùm Elegiis admitterem, quæ quid gravius, & operoſius tractant, rerum narrandarum plurimum habent; & non nihil ad Epopœjæ materiam accedunt; ut ſunt Ovidii Faſti. Atque in hujuſmodi Elegiis aliqua invocatio ſolet præmitti inſtar epicæ invocationis. En utriuſq; exemplum ſub initium Faſtorum.

*Tempora cum cauſis latium digeſta per annum,*
*Lapſàque ſub terras, ortaque ſigna canam.*
*Excipe pacato Cæſar Germanice vultu*
*Hoc opus, & timidæ dirige navis iter:*
*Officiique levem non averſatus honorem,*
*En tibi devoto munere dexter ades.*

Exordium verò, quod rei tractandæ viam ſternit, per vehementem aliquem affectum, aut inſignem figuram tractari conſuevit ab Ovidio, quem reor principem omnium in hoc poëmate: facilitatem enim, dulcedinem, perſpicuitatem, & ingenium, quo ipſe commendatur, Elegiarum Scriptores reliqui non aſſequuntur. En figuras, quibus frequentiùs utitur in exordiis.

Per *Apoſtrophen* ad Superos *Ele.* II. *Lib.* I. *Triſt.* aggreditur:

*Dii maris, & Cœli (quid enim, niſi vota superſũt)*
*Solvere quaſſatæ parcite membra ratis.*

Per *Apoſtrophen* ad res inanimes *Eleg.* I. *Lib.* I. *Triſt.*

*Parve (nec invideo) ſine me Liber ibis in Vrbem,*
*Hei mihi, quò Domino non licet ire tuo.*

*Va-*

*Vade, ſed incultus, qualem decet exulis eſſe,*
*Infelix habitum temporis hujus habe.*

Per *Interrogationem Ele. II. Lib. III. Triſt.*

*Ergo erat in fatis Scythiam quoq; viſere noſtris?*
*Quæque Lycaonio terra ſub axe jacet?*
*Nec vos Pierides, nec ſtirps Latonia veſtro*
*Docta Sacerdoti turba tuliſtis opem?*

Et *Ele.* II. *Lib. V. Triſt.*

*Ecquid ut è Ponto nova venit epiſtola, palles?*
*Et tibi ſolicita ſolvitur illa manu?*

Per *Objurgationem* interrogativam *Eleg. VI. Lib. V. Triſt.*

*Tu quoque noſtrarum quondam fiducia rerum,*
*Qui mihi confugium, qui mihi portus eras:*
*Tu quoque ſuſcepti curam dimittis amici?*
*Officiique pium tam citò ponis opus?*

Per *Optationem Ele. VIII. Lib. III. Triſt.*

*Nunc ego Triptolemi cuperē cōſcendere currus,*
*Miſit in ignotam qui rude ſemen humum.*
*Nunc ego Medeæ vellem frænare dracones,* &c.

Per *Proſopopæjam*, quæ per totam etiam Elegiam excurrit, *Ele. I. Lib. III. Triſt.*

*Miſſus in hanc venio timidè liber exulis urbem:*
*Da placidam feſſo, lector amice, manum.*
*Neve reformida; ne ſim tibi fortè pudori:*
*Nullus in hac charta verſus amare docet.*&c.

Per *Similitudinem, Epiſt. Didonis ad Æneam:*

*Sic, ubi fata vocant, udis projectus in undis*
*Ad vada Mæandri concinit albus olor.*

Per *Sententiam, Ele. VI. Lib. IV. Triſt.*

*Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri,*
*Præbet & incurvo colla premenda jugo.*
*Tempore paret equus lentis animoſus habenis,*
*Et placido duros accipit ore lupos.* &c.

Licebit etiam per ſimplicem Narrationem Elegiæ argumentum proponere. Exempla paſſim invenies apud Ovidium; unum ſeligo ex *Libro V. Triſt. Ele.* X.

*Ut ſumus in Ponto, ter frigore conſtitit Iſter;*
*Facta eſt Euxini dura ter unda maris.*
*At mihi jam videor.* &c.

A M P L I F I C A T I O.

Elegiaca amplificatio non exponit ordinatè rem aliquam, ſed nulla certa lege, vel ordine, varios affectus, animique motus, quorum ipſa eſt ſedes, effingit; remque per ſumma veluti capita percurrit; varias interea figuras, fabellas, ſimilitudines, ſententias, ſexcentaque alia ejuſmodi ornamenta, ſed præſertim argutias interſerendo, quas niſi in promptu habeat fœcundus ingenio Poëta; non facilè amplificationem elegiaco carmini aptam condiderit. Profectò amplificatio iſta, ut quæ non a rebus ipſis, ſed ab ingenio Poëtæ tota pendet, difficilis factu eſt. Sed ut rem difficilem, tironum gratiâ, qua poſſum via, faciam expeditiorem, juvat ex Ovidio oſtendere, per quæ capita res in Elegia poſſit amplificari. Jamverò

I. Fœ-

Digitized by Google

I. Fœcundam amplificationis ſegetem dant ſimilitudines, quibus abundat Ovidius: hæ tamen vel pluribus verbis, & carminibus; vel etiam paucioribus concludantur: ſic de ſe ille poſt exilium ad carmina redeunte *Lib.* II. *Triſt. Ele.* I. ait:

*Scilicet ut victus repetit gladiator arenam;*
*Et redit in tumidas naufraga puppis aquas.*

Et *Ele.* I. *Lib.* I. *de Ponto*:

*Æſtur ut occultâ vitiata teredine navis:*
*Æquoreos ſcopulos ut cavat unda ſalis.*

Et *Ele.* II. *Lib.* I. *Triſt.*

*Nec leviùs laterum tabulæ feriuntur ab undis;*
*Quàm grave baliſtæ mœnia pulſat onus.*

Et *Ele.* II. *Lib.* III. *Triſt.*

*Nil niſi flere libet: nec noſtro parcior imber*
*Lumine; quàm vernâ de nive manat aqua.*

Particulas verò, quibus commodè ad ſimilitudinem ſit tranſitus, invenies *Inſtitut.* I. *Cap.* IV.

II. Amplificationi inſerviunt queſtus multiplices dolore pleni, qui ex animo variis curis exercito ſolent erumpere: ſic Ovid. *Ele.* II. *Lib.* III. *Triſt.*

*Hei mihi, quid toties noſtri pulſata ſepulcri*
*Janua, ſed nullo tempore aperta fuit?*
*Cur ego tot gladios fugi? totieſque minata*
*Obruit infelix nulla procella caput?*

III. Apoſtrophe vel ad Superos, vel ad homines, aut ad res etiam inanimes; ut *in eadem Eleg.*

*Dii, quos experior nimiùm conſtanter iniquos,*
*Participes iræ, quam Deus unus habet:*

*Extimulate, precor, ceſſantia fata, meique*
*Interitûs clauſas eſſe vetate fores.*

IV. Effectuum enumeratio: ita Ovid. *Ele.* II. *Lib.* III. *Triſt.* exilii ſui mœſta effecta perpendit:

*Tam procul ignotis igitur moriemur in oris,*
*Et fient ipſo triſtia fata loco?*
*Nec mea conſueto langueſcent pectora lecto,*
*Depoſitum nec me qui fleat, ullus erit?*
*Nec Dominæ lacrymis in noſtra cadentibus ora*
*Accedent animæ tempora parva meæ?*
*Nec mandata dabo, nec cum clamore ſupremo*
*Languentes oculos claudet amica manus?*
*Sed ſine funeribus caput hoc, ſine honore ſepulcri*
*Indeploratum barbara terra teget?*

V. Circumſtantiarum enumeratio: ſic *Ele.* III. *Lib.* III. *Triſt.* exilium ſuum a circumſtantiis deplorat:

*Nec cælum patior; nec aquis aſſuevimus iſtis;*
*Terraque neſcio quo non placet iſta modo.*
*Non domus apta ſatis; non hìc cibus utilis ægro;*
*Nullus, Apollineâ qui levet arte malum, eſt.*
*Non qui ſoletur, non qui labentia tardè*
*Tempora narrando fallat, amicus adeſt.*

VI. Exempla: ſic *Ele. V. Lib. III. Triſt.* ab exemplo oſtendit animum eò eſſe magis placabilem, quò magis ſit generoſus:

*Majus apud Trojam forti quid habemus Achille?*
*Dardanii lacrymas non tulit ille ſenis.*

Sic & *Ele. III. Lib. III. Triſt.* exemplo probat licere uxori ſepelire poſt obitum cadaver mariti:

*Oſſa*

*Oſſa tamen facito parva referantur in urna:*
*Sic ego non etiam mortuus exul ero.*
*Non vetat hoc quiſquam: fratrem Thebana peremptum*
*Suppoſuit tumulo, Rege vetante, ſoror.*

VII. Brevis aliqua deſcriptio: ita Ovid. *in Ele. I. Lib. III. de Pon:* aſperam Ponti regionem deſcribit?

*Tu neque ver ſentis cinctum florente corona;*
*Tu neque meſſorum corpora nuda vides.*
*Nec tibi pampineas autumnus porrigit uvas;*
*Cuncta ſed immodicum tempora frigus habet.*
*Tu glacie freta vincta tenes; & in æquore piſcis*
*Incluſus tectâ ſæpe natavit aquâ.*
*Nec tibi ſunt fontes, laticis niſi pene marini;*
*Qui potus, dubium eſt, ſiſtat, alatne ſitim.* &c.

VIII. Exclamationes, quæ plurimùm valent etiam ad affectus commovendos: ſic *Eleg.* X. *Lib. V. Triſt.*

*O duram* Lachesim, *quæ tam grave ſidus habenti*
*Fila dedit vitæ non breviora meæ!*

Et *Ele. II. Lib. I. Triſt.*

*Proh Superi, viridesq; Dei, quibus æquora curæ,*
*Utraque jam veſtras ſiſtite turba minas!*

Et *Ele. III. Lib. IV. Triſt.*

*Me miſerum! tu ſi, cùm diceris exulis uxor,*
*Avertis vultus, & ſubit ora pudor:*
*Me miſerum! ſi turpe putas mihi nupta videri:*
*Me miſerùm! ſi te jam pudet eſſe meam.*

Et *Ele. VIII. Lib. II. de Pon:*

Fe-

*Felices illi, qui non ſimulacra, ſed ipſos,*
*Quique Deûm coràm corpora vera vident!*

IX. Argumentum aut a minori ad majus, aut a majori ad minus: quæ quidem argumenta nunquam ab aliquo exemplo ſejunguntur. En Ovid. E*le. IV. Lib. I. Triſt.* qui majori ſe dignum admiratione probat, quàm Uliſſes; eò quòd ſcilicet graviora, quàm ille toleraverit mala; quare a minori ad majus ſic habet:

*Pro Duce Neritio docti mala noſtra Poëtæ*
*Scribite: Neritio nam mala plura tuli.*
*Ille brevi ſpatio multis erravit in annis*
*Inter Duliachas, Iliacaſque domos.*
*Nos freta ſideribus totis diſtantia menſos*
*Sors tulit in Geticos, Sarmaticoſque ſinus.*
*Ille habuit fidamque manum, ſocioſque fideles:*
*Me profugum comites deſeruere mei.* &c.

A majori verò ad minus ſic argumentatur ad uxorem ſcribens E*le. I. Lib. III. de Pon*:

*Si mea mors redimenda tuâ (quod abominor) eſſet:*
*Admeti conjux, quam ſequereris, erat.*
*Æmula Penelopes fieres, ſi fraude pudica*
*Inſtantes velles fallere nupta procos.*
*Si comes extincti manes ſequerere mariti:*
E*ſſet dux fati Laodamia tui.*
*Iphias ante oculos tibi erat ponenda volenti*
*Corpus in accenſos mittere forte rogos:*
*Nil opus eſt letho, nil Icariotide telâ.*
*Cæſaris eſt conjux ore precanda tuo.*

X. Al-

Digitized by Google

X. Allegoria: ita Ovid. *Lib. II. Triſt.* explicat miſeros ab omnibus deſeri:

*Cùm cœpit quaſſata domûs ſubſidere; partes*
*In proclinatas omne recumbit onus.*
*Cunctaque, fortunâ rimam faciente, dehiſcunt,*
*Ipſa ſuo quondam pondere tecta ruunt.*

XI. Acutæ, breveſque ſententiæ: en pulcherrimas *Ele. II. Lib. II. de Pon:*

*Turpe quidem dictu: ſed (ſi modò vera fatemur)*
*Vulgus amicitias utilitate probat.*
*Cura, quid expediat, prior eſt, quàm quid ſit honeſtum;*
*Et cum fortuna ſtatque, caditque fides.*
*Nec facilè invenies multis in millibus unum,*
*Virtutem pretium qui putet eſſe ſui.*
*Ipſe decor recti, facti ſi præmia deſint,*
*Non movet, & gratis pœnitet eſſe probû.* &c.

XII. Exaggeratio rei alicujus ducta ab impoſſibili; ſic *Ele. V. Lib. IV. de Pon:*

*Nam priùs umbroſa carituros arbore montes;*
*Et freta velivolas non habitura rates;*
*Fluminaque in fontes curſu reditura ſupino;*
*Gratia quàm meriti poſſit abire tui.*

XIII. Inductio, qua plura ſimilia g'omerantur; ut *Ele III. Lib. IV. Triſt.*

*Nunc quoque ne pudeat quòd ſis mihi nupta: tuuſque*
*Non debet dolor hinc, debet abeſſe pudor.*
*Cùm cecidit Capaneus ſubito temerarius ictu,*
*Non legis Evadnen erubuiſſe viro.*

*Nec*

Digitized by Google

*Nec quia rex mundi compeſcuit ignibus ignes,*
*Ipſe ſuis Phaëton inficiandus erat.* &c.

XIV. Hiſtoriolæ; quæ moderatè tamen adducantur; ut E*le. II. lib.III. Triſt.*

*Sævior es triſti Buſiride; ſævior illo,*
*Qui falſum lento torruit igne bovem.*
*Quique bovem ſiculo fertur donáſſe Tyranno,*
*Et dictis artes conciliáſſe ſuis.* &c.

XV. Fabellæ poëticæ; quarum frequentior eſt uſus, quàm hiſtoriarum; eæ verò, tum etiam hiſtoriolæ, & quidquid ad aliquem priſcum ritum, moremque pertineat, eò erunt venuſtiora, quò paucioribus verbis efferentur: ſic Ovid. *Ele.* I.*lib.* III. *de Pon.* in qua plures habet hujuſcemodi fabellas, exorditur:

*Æquor Jaſonio pulſatum remige primùm,*
*Quæque nec hoſte fero, nec nive terra caret:*
Ecq*uod erit tempus, quo vos ego Naſo relinquam?* &c.

XVI. Denique Digreſſio aliqua parandæ amplificationi maximè eſt apta. Digreſſio autem, quæ etiam dici ſolet Epiſodium, ea eſt, per quam a propoſito argumento, poſtquam ſatis illud tractaverit, & explicuerit, ad rem alteram, ab eo non remotam, gradum facit Poëta: quam quidem digreſſionem, aut brevem, aut longiorem, pro arbitrio tractet: ſic *Ovid. lib.* IV. *Faſt.* aptè ad narrationem bene longam raptûs Proſerpinæ divertit: *Exigit ipſe locus* &c. & E*le.*V. *lib.* III. *Triſt.* poſtquam amici in ſe benevolentiam commemoráſſet;

ad

ad rem alteram ita digreditur:

*Si tamen interea, quid in his ego perditus oris*
*(Quod te credibile eſt quærere) quæris, agam.*
*Spe trahor exigua (quam tu mihi demere noli)*
*Triſtia leniri numina poſſe Dei.*
*Seu temerè expecto, ſive hoc contingere fas eſt;*
*Tu mihi, quod cupio, fas, precor, eſſe proba.* &c.

## EPILOGUS.

Epilogi hæc una eſt certa lex, ut efficiat, ne legentis animus remaneat ſuſpenſus; ſed aptè, ac universè Elegiam totam concludat: fiat itaque vel per hoc, quòd narratio ipſa jam abſoluta ſubſiſtat; vel per aliquod Epiphonema, aut Sententiam; ut E*le.* III. *lib.* I. *Triſt.*

*Vos animum ſævæ feſſum ſubducite morti.*
*Si modò qui periit, non periiſſe poteſt.*

Vel per Deprecationem aliquam; ut *lib. II. Triſt.*

*Tutius exilium, paulòque quietius oro:*
*Ut par delicto ſit mea pœna ſuo.*

Vel per Salutationem; ut E*le. III. lib. III. Triſt.*

*Accipe ſupremo dictum mihi forſitan ore,*
*Quod tibi qui mittit, non habet ille, vale.*

Vel per Optationē animi; ut E*le. XIII. lib. V. Triſt.*

*Sic utinam, quæ nil metuentem tale magiſtrum*
*Perdidit, in cineres ars mea verſa foret!*

Vel quavis alia via, quæ pro ratione rei, quæ agitur, aptum narrationi finem imponat.

AR-

Digitized by Google

## ARTICULUS III.

### *De Stylo* Elegiaci *Carminis.*

ELegiæ ſtylus eſto *Medius*, ut qui poëmati inſervit jucunditate, & affectibus pleno: ſit etiam perſpicuus, & ingenuus, ſit facilis, fluens, & æquabilis; ſit tener, refertus affectibus, & maximè ſuavis: exornetur etiam commodè figuris iis omnibus, atque ornamentis, quæ in amplificatione elegiaca recenſita ſunt.

Sed quoniam ſuavitati maximè ſtudeat oportet Elegia; præter ea, quæ hactenus dicta ſunt, ſcias facere etiam ad hanc ſuavitatem, verborum elegantem repetitionem; ut Ovid. *Ele. de Nuce.*

*Fructus abeſt, peperiſſe nocet, nocet eſſe feracem.*

Et *in Epiſt. Didonis ad Æneam:*

*Quò fugis? obſtat hiems: hiemis mihi gratia proſit.*

Jucundior etiam eſt verborum repetitio, ſi eadem verba ſint & finis antecedentis carminis, & initium ſubſequentis; ut Ovid. *Ele.* V. *lib.* II. *Amor.*

*Nullus amor tanti eſt (abeas pharetrate Cupido)*
*Ut mihi ſint toties maxima vota mori.*
*Vota mori mea ſunt* &c.

Conducit aliquando ad hanc venuſtatem ſyllabæ ejuſdem continuatio; ut ſunt illa Tibulli *Lib.* I. *Ele.* I.

*Me mea paupertas vitæ traducat inerti.*

Et infrà. *Ipſe ſeram teneras maturo tempore vites*

Ru-

*Ruſticus, & facili grandia poma manu.*

Huc etiam ſpectat uſus verbi *ſum*; quod, ſi in carminum fine præcedentem vocalem elidat, ad hanc ſuavitatem conferet: ſic Ovid. *Ele.* VIII. *lib.* II. *de Pon.*

*Perq; thori ſociam, quæ par tibi ſola reperta eſt,*
*Et cui majeſtas non oneroſa tua eſt.*

Præſtat etiam ad hanc lenitatem comparandam aptè repetere ter, aut quater in eodem diſticho eandem monoſyllabam; ut Ovid. *Ele.* IV. *lib.* II. *de Pon.*

*Nos fora viderunt pariter, nos porticus omnis,*
*Nos via, nos cunctis curva theatra locis.*

Ne quid verò huic elegantiæ, atque ſuavitati officiat; abigat procul Poëta majeſtatem, & gravitatem omnem, quæ propria ſunt heroici carminis; vitet verba grandia, & aſpera; & remotis a communi loquendi uſu verbis, uſitatiora (dum ſint latina) ſemper anteferat. Verſum frequentibus eliſionibus ne abrumpat, quæ fluentem carminis hujus facilitatem remorari ſolent. Immoderato fabellarum, & hiſtoriarum uſu hoc poëma ne inferciat, præſertim ſi ſint minùs obviæ: nihil demum, quod aut ſuavitati, aut perſpicuitati poſſit obeſſe, in hoc jucundiſſimo carminis genere adeſſe patiatur.

Addam hîc etiam plures tranſitionum formulas ex probatis Authoribus ſelectas, præſertim ex Ovidio; ut Adoleſcentibus, quibus ſolet eſſe valde familiare hoc poëmatis genus, planum faciam.

*O uti-*

*O utinam tunc!*
*Tu mihi, tu certè, memini-*
*Quando ego non timui graviora'*
*Dic mihi quid feci?*
*Unum in me ſcelus eſt, quod-*
*Nunc ubi--ubi nunc-*
*Auſus es o nimiùm!*
*Quid tibi nunc animi?*
*Sed mihi quid prodeſt?*
*Scirem ubi pugnares-*
*Sive-*
*Hæc ego dum ſtultè meditor-*
*Forſitã & narras quàm ſit tibi-*
*Sæpe fui mendax pro te mihi-*
*Sæpe ego-*
*At tu lentus abes!*
*Credidimus blandis, quorum tibi copia, verbis:*
*Credidimus-*
*Diis quoque credidimus-*
*Qua merui culpa, fieri tibi vilis?*
*Speravi meliùs de te-*
*Quid precor infelix?*
*Quin etiam fama eſt-*
*Devorer antè, precor, ſubito telluris hiatu-*
*Aut rutilo miſſi fulminis igne cremer.*
*Quàm-*
*Ibis, & o miſeram!*
*Nec tibi turpe puta-*
*Eſt aliquid-*
*Ter tecum conata loqui, ter inutilis hæſit*
*Lingua; ter in primo deſtitit ore ſonus.*
*I nunc; immeritam-*
*Tolle moras-*
*Heu ubi pacta fides, ubi nunc promiſſa?*
*Flecte feros animos-*
*Sic faveant-*
*Sic tibi dent-*
*Nondum tantus eras-*
*Proſequar infelix?*
*Non ego miror opes, nec me tua Regia tangit.*
*Nec &c.*
*Nec tibi, ſi ſapies, promitte-*
*Felix Andromache!*
*Felices illi, quibus eſt-*
*Si licet, & pateris-*

*Dum*

Digitized by Google

*Dum licet, ah nimiùm-*
*Me miſeram! quòd-*
*Et potes, & merui-*
*O ego ſi poſſem-*
*Credula res amor eſt-*
*Singula dum narrat-*
*Quid mihi, cum-*
*Quid cum &c.*
*Dic, age-*
*Quando erit illa dies?*
*Quando erit?*
*Quò fugis, exclamo-*
*Non ego ſum tanti-*
*Quid ſi neſcires?*
*Finge, age, te-*
*Quidquid id eſt, timeo-*
*Nec mihi mens dubia eſt, quin-*
*Da veniam culpæ-*
*Quid dubitas, & adire times?*
*Si tibi mens avida eſt belli-*
*Parce, precor, domui-*
*Aſpicias utinã, quæ ſit-*
*At tu, cura mei ſi te pia tangit-*
*Materiã vellem fortis meliore fuiſſes-*
*Clamabam, ſine me, me ſine mater abis?*
*Cœpiſti meliùs, quàm deſinis.*
*Hæc mihi ferre parum eſt-*
*I nunc, tolle animos, & fortia facta recenſe.*
*Proh pudor!*
*Falleris, & neſcis-*
*Mens fugit admonitu-*
*Sed quid ego hæc refero?*
*Hei mihi quid feci? quò me furor egit?*
*Deprecor hoc unum, ne-*
*Et quoties ego te, toties locus ipſe vocabat.*
*Quid potius faciam?*
*Occurrunt animo pereundi mille figuræ.*
*Dextera crudelis!*
*Vos quoque crudeles-*
*Quid tibi grataris?*
*Non mihi te licuit-*
*Cur mihi plus æquo-*
*Perfide ſenſiſti-*
*Hinc amor, hinc timor eſt-*
*Spiritus ãtè meus tenues vaneſcat in auras;*
*Quàm &c.*

Z *Ire*

Ire animus mediæ ſuadebat in agmina turbæ.
Vix me continui, quin-
Si tibi ſum vilis-
Quò feret ira, ſequar-
Venerat, ut fama eſt-
Cauſa tua eſt diſpar.
Vt vidi, ingemui, tacitoque in pectore dixi-
Sed tua cur nobis?
Quando ego te?
Sed quid ego revoco hæc-
Crede mihi, plus eſt-
Eſſe ream præſtat-
Cor pavet admonitu?
Non ego falſa loquar-
Surge, age-
Quid furis infelix? quid-
Quæ tibi cauſa fugæ?
Flendus amor meus eſt-
Vltima quid referam?
Non veniunt in idem pudor, atque amor.
Nunc vellem facunda fores-
Hæc quid ego precibus?
Eloquar, an ſileam?
Plus hìc invenio, quàm quod promiſeris.
O quoties dices!
Nec mihi fas fuerit-
Da modò te facilem-
Quid faciam dubito-
Nunc mihi nil ſupereſt.
Qua licet, & poſſum, luctor-
An pudet, & metuis?
Quò magis admiror-
Eſt quoque, confiteor-
Nec tu ſuccēſe nimiùm mihi-
Vix tenui riſum-
Omine lætatus-
Et libet, & timeo-
Et peream, ſi non-
Vnde petam fratres? unde parentis opem?
Tale nihil timeo-
His ego, ſi ſaperem-
Sed nimiùm properas, & adhuc tua meſſis in herba eſt.
Quidquid erit patiar-
Si qua fides veri eſt-
Sic ubi fata vocant, udis abjectus in herbis
Ad vada Mæandri concinit albus olor.
Omnia ſed vereor-

Quod

*Quod timeas, non eſt-*
*Ire libet medias-*
*Spes tamen eſt-*
*Pone metum, valeo.*
*Quid pudor ora ſubit?*
*Spem mihi tu dederas-*
*Omnia perpetiar-*
*Omina re careant-*
*Siſte puer lacrymas-*
*Quod ſi contigerit-*
*Quid mihi te jactas?*
*Vel nunquam mallem-*
*Improbe quid gaudes?*
*At fuerat melius-*
*At mihi væ miſero!*
*Nil ego peccávi, niſi quòd-*
*Si mihi lingua foret-*
*Concidimus macie, color eſt ſine ſanguine-*
*Diſce, metu poſito-*
*Ne tamen ignores-*
*Unde tibi favor hic-*
*Jam ſatis-*
*Nil opus eſt bello-*
*Tu mihi (ſiqua fides)-*
*Quod precor, exiguũ eſt-*
*Te nimiùm lentum timeo-*
*Redde vicem meritis-*
*Fallimur-*
*Quid mihi vobiſcum eſt, infelix cura, libelli?*
*Ex re nomen habet-*
*Optavi quoties, ne-*
*Optavi quoties, aut-*
*Mortale eſt, quod quæris, opus, mihi fama perennis.*
*Vilia miretur vulgus-*
*Quid mihi profuerit?*
*Magna datur merces-*
*Quàm diſpar certamen inis?*
*Quid facis? exclamo-*
*Torqueor infelix, ne-*
*Hæc alii referãt, at vos-*
*Ite triumphales circum mea tempora lauri.*
*Si bene te novi, ſi-*
*Quod licet, & facile eſt-*
*Cur ego ſim triſtis?*
*Malueram-*
*Malueram verbis pondus abeſſe meis.*
*Grande moræ pretium-*
*Quid mihi fiet? ais-*
*Dicere magna paro-*
*Ergo age, quiſquis es-*
*At vos, qui ſapitis-*



Digitized by Google

Sunt, qui præcipiant-
Sunt, quibus eſt odio-
Quid moror in parvis?
O bene quòd-
Dixerit e multis aliquis, quòd-
Quis furor eſt?
Quod licet, & prodeſt-
Sũt fora, ſunt leges, sũt, quos tuearis, amici.
Omnia feciſti, ne-
Ne properes, oro-
Et pone ante oculos-
Auferimur cultu-
Non ego te jubeo-
Non facile eſt-
Hæc ubi præſtiteris-
Hæc ſi ſcire voles-
Parce queri-
Ah malim taceas-
Tutius eſt, aptumque magis-
Nunc opus eſt armis-
Non tamen hoc tanti eſt-
Quàm miſerum eſt!
Si merui, videorque nocens-
Ne tamen ignores-
Quid ſibi vult, dixi-
Quid tuti ſupereſt?
Nec meriti pœnam pateris-
Tempus erit, cùm-
Ah nimiùm faciles-
Quid volui demens?
Ah quàm ſunt ſimiles!
Non opus eſt verbis-
Mens abit, & morior, quoties-
Quantum animis erroris ineſt!
Quòd ſi fortè vacat-
Magna petis-
Quò non livor adit?
Mira canam, ſed vera-
Quò ferar?
Nec ſatis eſt meruiſſe ſemel-
Eſt mihi, ſitque, precor-
Præterea referamne tuum?
Nec licet, & longum eſt-
Atque utinam pugnæ pateat locus!
Vix bene deſterat-
Occidimus-
Hei mihi-
Proh ſuperi!

Quod

*Quod facile eſt, opto-*
*Cauſa mea eſt melior.*
*Tantane te.*
*Si ſaperem, doctas odiſ-*
*ſem jure ſorores.*
*Ultima me perdunt-*
*Spes mihi magna ſubit-*
*Ergo erat in fatis-*
*Nil niſi flere licet.*
*Ergo ego ſum vitæ dubius-*
*Quantum erat, o magni, perituro parcere, Divi!*
*Nunc ſi fortè potes, ſed non potes optima-*
*Vivere quàm miſerum eſt!*
*Ipſe mihi, quid enim faciam?*
*Quid tamen ipſe precer?*
*Tempus ubi eſt illud?*
*Nil adeo validum eſt-*
*Fata repugnabant-*
*Gratia muſa tibi-*
*Hoc erat in gelido, quare-*
*Quod petimus, pœna eſt-*
*Quò ferar, unde petam lapſis ſolatia rebus?*
*Sarcina ſum, fateor-*
*Quæ tibi res animos facit improbe?*
*Dumque (quod ob breve ſit!) lumen vitale videbo-*
*Non eſt quid metuas-*
*Gloria vos acuat, nos ut recitata-*
*Ah nimium eſt, quod amice petis-*
*Denique quiſquis erat, &c.*

## CAPUT IV.

### *De Georgicis.*

GEorgica ſunt Poëſis, qua de agrorum cultura, vel de rebus ſimilibus præceptiones traduntur: ejus ſiquidem materia eſt quidquid de ex-

excolenda terra ad uſus quoſcumque, de Apum, aut Bombicum cura, de re Nautica, Bellica, Venatoria, Piſcatoria, de erudienda demum in re aliqua juventute præcipi poteſt.

Si ſpectemus Virgilium, quatuor huic poëſi tribuuntur partes, Propoſitio, Invocatio, Narratio, & Clauſula.

*Propoſitio* breviter, & claré rem exponat, de qua toto opere agendum erit. Virgilius ſtatim initio Georgicorum totam rerum ſeriem aperit, quam libris quatuor diſtributam daret, in quorum primo de Aratione, ſecundo de Plantatione, tertio de Paſtione, cultuque pecorum, quarto de Apibus, & Mellatione acturus erat. En tibi ejus carmina:

*Quid faciat lætas ſegetes, quo ſidere terram*
*Vertere, Mæcenas, ulmiſque adjungere vites*
*Conveniat, quæ cura boum, qui cultus habendo*
*Sit pecori, atq; apibus quanta experiẽtia parcis,*
*Hinc canere incipiam.*

Si qua eſt perſona, ad quam ea præcepta dirigantur, poterit poſt propoſitionem converti ad illam oratio, ejuſque laudes breviter percenſeri.

*Invocatio* apud Veteres Numinis ejus auxilium implorabat, quod rei præeſſet, de qua agere inſtituebant: ſic Virgilius Bacchum, Cererem, & Deos, Deaſque omnes, quas agris, arboribus, bobus, pecori, atque apibus præeſſe exiſtimabat, invocavit. Chriſtiani veró hujuſcemodi invocationem execramur, & Deum verum, aut Virgi-

nem

nem, vel aliquem ex Superis imploramus.

*Narratio* potiſſima eſt hujus poëſeos pars: in ea præcepta omnia, quæ ſcitu digna exiſtimamus, clarè, & accuratè reponenda: quod ut citra legentium riſum fiat, comparet ſibi oportet Poëta non vulgarem rei tractandæ notitiam, qua niſi inſtructus ſit, manum operi ne admoveat. In hac narratione permittitur digreſſio aliqua ad rem aliam, dum ea incongrua omnino non ſit materiæ, quam tractamus. Sic Virg. *lib.* IV. ad Ariſtæi, Euridices, & Orphei fabulas digreditur.

*Clauſula* Poëtæ arbitrio remittitur.

Stylus Georgicorum temperatus ſit inſtar narrationis, ſeſeque maximè legentium inſtitutioni, parum oblectationi, accommodet.

## CAPUT V.

### *De Satyra.*

SAtyra eſt [ Poëma jocoſum, atque ſalſum, ad reprehendendos corruptos hominum mores inſtitutum, ut ab iis homines absterreantur. ] Ex quo Satyræ materiam colliges eſſe turpitudinem quamcumque riſu dignam, vel odio, quæ mores hominum inficiat; per eam namque ſolemus exagitare Superbos, Ingratos, Ebrios, Edaces, Inertes, Avaros, Libidinoſos, Prodigos, Ambitioſos, Garrulos, &c. Partes certas nullas habet hoc poëma: eſt enim ſcribendi modus ſine lege inſtar jo-

cularis ſermonis familiaris: quidquid verò præcipi de eo poteſt, jam addo.

I. Apertum exordium, & propoſitionem nunquam habet; frequenter ex abrupto per interrogationem, reprehenſionem, exclamationem, narrationem, vel ſimilia; aliquando verò per inſinuationem a circūſtantiis rerū petitam exorditur.

II. Satyra fieri poteſt vel narrativè, vel dialogicè, vel mixtim. *Narrativè*; cùm ſolus Poëta loquitur, & ſola ejus narratione res abſolvitur. *Dialogicè*; cùm plures inducuntur colloquentes inter ſe. *Mixtim*; cùm utrumque modum complectimur.

III. Quidquid reprehendit, non tam rationibus, quàm jocis, ſalibus, ſimilitudinibus, fabellis, hiſtoriolis, ſed exemplis præſertim refellat.

IV. Facetiis, jocis, ſuavitatibus abundet, quibus objurgationes illinendæ, medicorum inſtar, ut æquiore animo excipiantur. Cave tamen, ne facetiarum nimia humilitas, aut copia ſcurrilitatem ſapiat, aut ne quid obſcœnum in tot amœnitates irrepat.

V. Fictionibus poëticis redundet, inopinatis occurſibus, colloquiis, ſomniis, aliiſque id generis ornamentis.

VI. Cùm ſit dialogicè, fictis utere nominibus, quæ mutuaveris ex Martiali, vel Horatio, vel Juvenali: aut ſi mavis, utere nomine aliquo illorum hominum, qui eo vitio laborârunt, quod reprehendis: ſic poterit poni Euclio pro Avaro, Ne-

ro

ro pro Crudeli, Vitellius pro Helluone, &c.

VII. Carmen eſto Hexametrum, quod de induſtria incedat neglectu quodam ſui ſine cura numeri.

VIII. Amat quàm maximè ſententias, quæ acutæ ſint, & facetæ: amat & jocos omnes, qui familiari ſermoni ſolent interſeri, ut ſunt ſcommata, adagia, apophtegmata, alluſiones, fabellæ, hiſtoriolæ, aliaque ejuſmodi.

IX. Stylus ſit ſubmiſſus, qui familiarem ſermonem imitetur, purus tamen, & elegans in verbis: amœnitatis gratiâ poterit aliquando Plautinum aliquid, vel Ennianum uſurpare. Quòd ſi ad aliquid ſerium aliquando, & grave divertit, aſſurgat aliquantulum ad temperatam majeſtatem; modò curet, ne in ſeriis diutius immoretur.

X. Optimi Satyrarum Scriptores ſunt Horatius, Perſius, & Juvenalis, quorum primus deriſor & feſtivus, & lepidus; alter ſeverus cenſor; tertius petulantior, atque liberior.

## CAPUT VI.

### *De Lyrica Poëſi.*

## ARTICULUS I.

### *Lyricæ Poëſeos notio.*

LYrica Poëſis ſic dicitur a Lyra, ad quam cani apud Veteres conſuevit; quare & Ode vulgo dicitur, ex gr: ὠδὴ, ideſt cantus. Ejus

Ejus materia longè latèque patet: Dei enim, Divorumque, & illuſtrium virorum laudes complectitur; hortationes ad virtutem, vitiorum inſectationes, vota, apprecationes, gratulationes, conſilia, jurgia, conqueſtiones, locorum præterea, temporum, præliorum, itinerum deſcriptiones: quidquid demum brevi poëmate concludi poteſt, id omne apta erit Odarum materia.

Hujus poëſeos nullæ ſunt certæ partes: ſatis erit, ſi exordio indicet Poëta quò velit tendere: quod reliquum eſt Odes, narrationibus, amplificationibus, deſcriptionibus, variiſque figuris, & aliquando etiam digreſſionibus conficitur.

## ARTICULUS II.

### *Lyricæ Poëſeos ſtylus.*

EJus ſtylus ſuavitatem maximè ſectetur: ut enim Epopœjæ gravitas, Eclogæ ſimplicitas, Satyræ acrimonia, Elegiæ teneritudo, atque mollities, Epigrammati acumen, Comœdiæ jocus, Tragediæ vehementes affectus; ſic Lyrico carmini ſuavitas competit. Suavitatem hanc Horatius Lyricorum Vatum facilè Princeps hac arte parat.

I. Florida, atque polita uſurpat verba: ſed in epithetis præſertim delectum quemdam habet eximium, & venuſtas metaphoras paſſim adhibet: ſic Rotas dicit *fervidas*, Lucernas *vigiles*,

Afri-

Africum *luctantem*, Paupertatem *importunam*, Mortem *pallidam*, &c.

II. Aptas ſimilitudines frequenter uſurpat. *Ode II. lib. IV.* de Pindari eloquentia ſic habet:

*Monte decurrens velut amnis, imbres*
*Quem ſuper notas aluere ripas,*
*Fervet, immensùmque ruit profundo*
*Pindarus ore.*

III. Gravibus ſententiis paſſim exornat carmina: ut *lib. I. Ode IV.*

*Pallida mors æquo pulſat pede pauperũ tabernas,*
*Regumque turres.*

IV. Periphraſes opportunè proponit, etiam epithetorùm loco. *Ode XXXV. lib. I.* incoſtantem Fortunam ſic deſcribit:

*O Diva, gratum quæ regis Antium,*
*Præſens vel imo tollere de gradu*
*Mortale corpus, vel ſuperbos*
*Vertere funeribus triumphos.*

V. Græcis poſitionibus aliquando utitur: ut *Perfidum ridens Venus: Deſine mollium querelarum. Abſtine irarum. Luna frugum proſpera. Amara curarum. Solutus operum*, &c. Verùm hæ Græcorum locutiones ne frequentes ſint; neque eas uſurpes, niſi poſtquam apud Horatium, vel certè apud alium ex probatis Auctoribus inveneris.

VI. Ad vim orationi addendam, Repetitionem non rarò uſurpat, in his præſertim particulis: Sic, Et, Sive, Qui, Eſt, &c. *Ode IV. lib.* III. gravibus verbis de Jove ita loquitur: *Qui*

*Qui terram inertem, qui mare temperat*
*Ventoſum, & urbes, regnaque triſtia,*
*Divoſque, mortaleſque turbas*
*Imperio regit unus æquo.*

VII. Latini ſermonis integritatem ſtudioſiſſimè curat. Figuris, atque tropis abundat: dictione, ſpiritu, phraſique poëtica ſupra cæteros Poëtas non leviter aſſurgit.

VIII. Periodi longitudinem ita regit, ut neque ſubſultet inciſorum frequentiâ, neque nimia productione obſcura fiat: neque ſtrophis ſingulis periodum abſolvat; ſed ejuſdem periodi, vel etiam inciſi verba initio ſequentis ſtrophæ reponit aliquando.

Id demum ſcias velim, quòd Horatius ita Odarum prolixitatem temperat, ut nunquam octogeſimum circiter verſum excedat; aliquando verò octo tantùm carminibus ſit contentus.

## ARTICULUS III.

### *Lyricorum Verſuum ſpecies Horatianæ.*

ANtequam illas proponam, moneo, quòd ſi nulla in verſu deſit, vel abundet ſyllaba, verſus vocatur Acatalectus: ſi deſit una ſyllaba, Catalectus: ſi deſit pes integer, Brachicatalectus: ſi abundet una ſyllaba, vel pes integer, Hypercatalectus. Si tamen verſus duobus pedibus conſtet, dicitur Dimeter; ſi tribus, Trimeter; ſi quatuor,

uor, Tetrameter; ſi quinque, Pentameter; ſi ex, Hexameter; ſi ſeptem, Heptameter. Denas tamen hîc Jambicos verſus, quorum una menſura duos pedes complectitur: quare Jambius, qui ſex pedes habet, Trimeter dicitur. Jam verò Horatiani verſus, (extra quos alios in Odis non facilè uſurpaveris) hi ſunt:

I. Aſclepiadeus: conſtat Spondæo, Dactylo, cæſura longa, & duobus Dactylis: ut

*Mæce--nas ata--vis--edite--regibus.*

II. Sapphicus: conſtat Choræo, Spondæo, Dactylo, & duplici Choræo: ut

*Jam ſat--is ter--ris nivis--atque--diræ.*

III. Adonius: conſtat Dactylo, & Spondæo: ut

*Terruit--Urbem.*

IV. Jambicus Trimeter Acatalectus, ſive ſex pedum integrorum, quorum pares Jambi ſunt, impares verò vel Jambi, vel Spondæi: ut

*Ibis--Libur--nis in--ter al--ta na--vium.*

V. Jambicus Dimeter Acatalectus, ſeu quatuor pedum integrorum, quæ eandem legem præcedentium ſervent: ut

*Ami--ce pro--pugna--cula.*

VI. Jambicus Trimeter Catalectus, in quo ſcilicet poſtrema deeſt ſyllaba: primi quatuor pedes Jambici verſus leges ſervant, quintus ſit Jambus cum cæſura: ut

*Trahunt--que ſic--cas ma--chinæ--cari--nas.*

VII. Jambicus Dimeter Hypercatalectus, qui ſcilicet abundat unâ ſyllabâ: quatuor ejus pedes Jambici leges ſervant: ut *Sil-*

Digitized by Google

*Silvæ--labo--rantes---gelu--que.*

VIII. Trochaicus Dimeter Catalectus: conſta tribus Trochæis, & cæſura: ut

*Trudi---tur di---es di---e.*

IX. Glyconius: conſtat Spondæo (cujus loco ſe mel apud Horatium eſt Choræus, & ſemel Jam bus) atque duobus Dactylis: ut

*Sic te---Diva po---tens Cypri.*

X. Pherecratius: conſtat Spondæo, Dactylo & Spondæo: ut

*Grato --- Pyrra ſub --- antro.*

XI. Alcmanius: conſtat quatuor pedibus, quo rum primi duo ſunt Dactyli, vel Spondæi, ter tius Dactylus, quartus Spondæus: (etſi aliquando inſtar Hexametri Spondaici Dactylum a tertia ſede in aliquam ex antecedentibus rejiciat) u

*Aut Ephe--ſum bima--riſve Co--rinthi.*

XII. Ariſtophanius: Dactylo conficitur, & duo bus Choræis: ut

*Lydia --- dic per --- omnes.*

XIII. Choriambicus Pentameter Acatalectus conſtat quinque integris pedibus; nempe Spon dæo, tribus Choriambis, & Pyrrichio: ut

*Tu ne -- quæſieris -- ſcire nefas--quem mihi quem--tibi.*

XIV. Choriambicus Pentameter Hypercatale ctus: ſuperaddit quinque pedibus cæſuram: pe des vero ſunt Choræus, Spondæus, duo Cho riambi, Jambus, & cæſura: ut

*Te De---os o--ro, Sybarim -- cur properet ---aman--do.*

XV. Al-

XV. Alcaicus Tetrameter Hypercatalectus: quatuor pedibus interponit cæſuram ſic: primus eſt Spondæus, vel Jambus, ſecundus Jambus cum cæſura, poſtremi Dactyli: ut

*Vides -- ut al--tá --ſtet nive---candidum.*

XVI. Alcaicus Tetrameter Acatalectus: conſtat quatuor integris pedibus, nempe duobus Dactylis, Choræo, & Spondæo: ut

*Flumina---conſtite---rint a---cuto.*

XVII. Archilochius Hexameter Hypercatalectus: conſtat ſex pedibus, & cæſura ſic: primus, & tertius ſunt Spondæi, vel Jambi, ſecundus, & quartus Jambi: ( etſi bis Pyrrichium quarto loco ponat Horatius ) poſtremi duo Dactyli cum cæſura: ut

*Tu vi---na* Tor*---quato---move---Conſule--preſſa me--o.*

XVIII. Archilochius Heptameter Acatalectus: conſtat ſeptem pedibus, quorum primi quatuor ſunt Dactyli, vel Spondæi, tres poſtremi ſemper Choræi: ut

*Solvitur--acris hy--ems gra--ta vice---veris---& Fa--voni.*

XIX. Archilochius Dimeter Hypercatalectus: conſtat duobus Dactylis, & cæſura: ut

*Arbori---buſque co---mæ.*

XX. Jonicus a minori Trimeter Acatalectus: tres habet pedes Jonicos a minori: ( hic pes conſtat Pyrrichio, & Spondæo. ) ut

*Eques ipſo--melior Bel--lerophonte.*

XXI. Joni-

XXI. Jonicus a minori Tetrameter Acatalectus: habet quatuor Jonicos a minori: ut

*Simul unctos--Tiberinis---humeros la--vit in undis.*

## ARTICULUS IV.

### *De conjunctione verſuum in Odis Horatii.*

DUo hìc prænotanda etiam veniunt. Alterum eſt, quòd Ode, quæ uno tantùm conficitur verſuum genere, dicitur Monocolos: ſi verò duplici verſuum genere conficiatur, vocatur Dicolos; ſi triplici, Tricolos. Alterum eſt, quòd Odæ aliæ ſunt Monoſtrophæ, in quibus nulla eſt replicatio: aliæ Diſtrophæ; cùm ſcilicet poſt ſecundum verſum ad prius genus carminis revertimur: aliæ Triſtrophæ; cùm poſt tertium verſum reditur ad primum: aliæ demum Tetraſtrophæ: ubi poſt quartum fit ad primum verſum reditus. Diverſæ autem verſuum conjunctiones apud Horatium ſunt undeviginti, ex quibus totidem Odarum diverſæ ſpecies conſurgunt.

I. Eſt Monocolos: ſunt enim omnes verſus Aſclepiadei: ſic *Ode I. L. I.*

*Mæcenas atavis edite Regibus.*

II. Dicolos Tetraſtrophos: cujus primi quique tres verſus Sapphici ſunt, quartus Adonius: *Ode* II. *l.* I.

*Jam-*

*Jam ſatis terris nivis, atque diræ*
*Grandinis miſit Pater, & rubente*
*Dexterâ ſacras jaculatus arces*
*Terruit urbem.*

III. Dicolos Diſtrophos: conſtat Glyconio, & Aſclepiadeo: *Ode III. l. I.*

*Sic te Diva potens Cypri,*
*Sic Fratres Helenæ lucida ſidera.*

IV. Dicolos Diſtrophos: primus verſus eſt Archilochius Heptameter, Jambicus Trimeter Catalectus alter: *Ode IV. l. I.*

*Solvitur acris hyems grata vice veris, &*
*Favonj;*
*Trahuntque ſiccas machinæ carinas.*

V. Tricolos Tetraſtrophos: primi duo verſus Aſclepiadei ſunt, tertius Pherecratius: quartus Glyconius: *Ode* XIV. *l.* I.

*O navis referent in mare te novi*
*Fluctus: o quid agis? fortiter occupa*
*Portum; nonne vides, ut*
*Nudum remigio latus.*

VI. Dicolos Tetraſtrophos: tres primi Aſclepiadei ſunt, quartus Glyconius: *Ode* XV. *l.* I.

*Paſtor cùm traheret per freta navibus*
*Idæis Helenam perfidus hoſpitam,*
*Ingrato celeres obruit otio*
*Ventos, ut caneret fera*

VII. Dicolos Diſtrophos: Hexametrum habet Heroicum, & Alcmanium: *Ode* VII. *l.* I.

*Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenem,*

*Aut Epheſum, bimarisve Corinthi*

VIII. Dicolos Diſtrophos: recipit Ariſtophanium, & Coriambum Pentametrum Hypercatalectum: *Ode* VIII. *l.* I.

*Lydia dic, per omnes*
*Te Deos oro; Sybarin cur properes amãdo?*

IX. Tricolos Tetraſtrophos: ejus primi duo verſus ſunt Alcaici Tetrametri Hypercatalecti, tertius eſt Jambicus Dimeter Hypercatalectus, quartus Alcaicus Tetrameter Acatalectus: *Ode* IX. *l.* I.

*Vides, ut altâ ſtet nive candidum*
*Soracte; nec jam ſuſtineant onus*
*Silvæ laborantes; geluque*
*Flumina conſtiterint acuto?*

X. Monocolos: conficitur ſolo Coriambo Pentametro Acatalecto: *Ode* XVIII. *l.* I.

*Nullam, Vare, ſacra vite priùs ſeveris arborẽ,*

XI. Dicolos Diſtrophos: primus verſus eſt Trochaicus, Jambicus Trimeter Catalectus alter: *Ode* XVIII. *l.* II.

*Non ebur, neque aureum*
*Mea renidet in domo lacunar:*

XII. Dicolos Diſtrophos: conſtat Heroico Hexametro, & Archilochio Dimetro Hypercatalecto: *Ode* VII. *l.* IV.

*Diffugere nives; redeunt jam gramina campis,*
*Arboribuſque comæ.*

XIII. Dicolos Triſtrophos: duos primos verſus habet Jonicos a minori Trimetros; tertium Jonicum a minori Tetrametrum: *Ode* XII. *l.* III.

*Mi-*

*Miſerarum eſt neque amori dare ludum,*
*Neque dulci mala vino levare, aut ex-*
*animari metuentes patruæ verbera linguæ.*

XIV. Dicolos Diſtrophos: primus eſt Jambicus Trimeter Acatalectus, alter Jambicus Dimeter Acatalectus: *Ode II. Libri Epodon.*

*Beatus ille, qui procul negotiis,*
*Ut priſca gens mortalium,*

XV. Dicolos Diſtrophos: conſtat Hexametro Heroico, & Jambico Dimetro Acatalecto: *Ode XV. l. Epod.*

*Nox erat, & Cœlo fulgebat luna ſereno*
*Inter minora ſidera.*

XVI. Dicolos Diſtrophos: recipit Hexametrum Heroicum, & Archilochium Hexametrum Hypercatalectum: *Ode XIII. l. Epod.*

*Horrida tempeſtas Cœlum contraxit; & imbres,*
*Niveſque deducunt Jovem, Nunc mare, nunc*
*ſilvæ*

XVII. Tricolos Triſtrophos: primus verſus eſt Jambicus Trimeter Acatalectus, Archilochius Dimeter Hypercatalectus ſecundus, tertius verò Jambicus Dimeter Acatalectus: *Ode XI. l.* E*pod.*

*Petti, nihil me, ſicut antea, juvat*
*Scribere verſiculos*
*Amore perculſum gravi:*

XVIII. Dicolos Diſtrophos: conſtat Hexametro Heroico, & Jambico Trimetro Acatalecto: *Ode* XVI. *l.* E*pod.*



Digitized by Google

*Altera jam teritur bellis civilibus ætas;*
*Suis & ipſa Roma viribus ruit.*

XIX. Monocolos: ſolo Jambico Trimetro Acatalecto conficitur: *Ode XVII. l. Epod.*

*Jam jam efficaci do manus ſcientiæ.*

## CAPUT VII.

### *De Epica Poëſi.*

## ARTICULUS I.

### *Quid ſit Epica Poëſis.*

Poëſis Epica, & Dramatica, (de qua capite ſequenti) non adoleſcentium, ſed virorum ſunt opus. De iis itaque præcepta edam quidem omnia, quæ tradi poſſunt, ſed tamen breviter.

Jamverò poëſis Epica, quam Epopœjam, & vulgò *Poëma* vocamus, nomine magis proprio *Heroicum Carmen* dicimus: eo quòd ſcilicet exponit Heroum geſta. Ea verò eſt [Poëſis Hexametro carmine Actionem aliquam egregii hominis, quæ illuſtris ſit, una, vera, & felix, fictionibus circumveſtit, ac repræſentat, ut ad amorem virtutis animos excitet.] Quam Definitionem dum explico, faciliùs poëſeos hujus innoteſcet natura.

Dixi primò, eam ſcribi *Hexametro carmine*; non enim unquam alio ſcriptam reperies.

Secundò verſari circa *Actionem aliquam* humanam;

nam; humanæ enim actiones ſunt poëſeos materia.

Tertiò: debere eam Actionem eſſe *egregii hominis*; quandoquidem virtutis amor, ad quem, ſpectat Epopœja, faciliùs excitatur, dum perſona imitanda proponitur, quam, ob ejus nobilitatem, glorioſum ſit imitari: neque verò inſignis actio veriſimiliter proponi poteſt, niſi ab egregio homine facta dicatur: egregium autem hominem hæc faciunt: I. generis nobilitas: II. animus ingens, atque erectus, & divinâ quadam mente, præditus: III. corporis firma habitudo, atque oris majeſtas. Fœmina Actionem hanc Epopœjæ non præſtat; niſi fortè Beata Virgo, quæ una viros omnes antecellit.

Quartò: debere eandem eſſe *Illuſtrem*, ut virtutis amor excitetur: erit autem illuſtris vel ratione ſui, ut Actio Æneidos, conſtitutio videlicet Romani Imperii per Æneam; vel ratione perſonarum, ut illa Odyſſeæ, Ulyſſis ſcilicet itinera, reditus deinde domum, & procorum, qui uxoris ejus ambiebant nuptias, interfectio: in quo nihil illuſtre præter perſonas.

Quintò: debere etiam eſſe *Unam*, eo ſenſu, ut Actio principalis, quæ toto poëmate deſcribitur, ad quam cæteræ Actiones omnes, (quas ſecundarias vocamus) ordinantur, una ſit, non multiplex: ſic Virgilius, etſi multas deſcribit Æneæ ſui Actiones; eas tamen omnes ad unam refert omnium præcipuam, nempe ad Romani Imperii

conſtitutionem in Italia per Æneam.

Sextò: debere item eſſe *Veram fictionibus circumveſtitam*. Ea enim Actio primaria, de qua modò dixi, verè contigerit neceſſe eſt: ſic Æneæ adventus in Italiam, atque Urbis per ipſum facta ædificatio vera ſunt, licèt rem illam veram ita fabellis per ſecundarias Actiones inductis Poeta jure ſuo exornet, ut ad fabulam transferat.

In ſecundariis verò his Actionibus, quamvis fictio liceat, cave tamen ne quidquam, quod ſit contra Hiſtoriam, imiteris.

Septimò: debere eſſe *Felicem*, ſcilicet in exitu: nihil tamen vetat, quominus Heros ille infelix magna etiam parte fabulæ oſtendatur; dum tota Actio felicem demum exitum ſortiatur.

Octavò demum: eò debet ſpectare Epopœja, ut *excitet* legentium *animos ad amorem virtutis*. Momenta itaque rerum omnia aut commendet, aut reprehendat, aut prætereat, aut amplificet, prout Poeta amori virtutis excitando conſentaneum eſſe judicaverit.

## ARTICULUS II.

### *Fictio Epopœjæ*.

Fictio rerum in Heroico carmine maximè locum habet: Epopœjam quippe ſtatim ab initio fabula excipit, atque ad exitum uſque deducit: nam in ea quidquid narratur, aut fictum eſt,

aut

aut fabellis undique exornatum. De hac fictione quinque potiſſimùm obſervanda ſunt; nempe Materia, Veriſimilitudo, Unitas, Magnitudo, Ductus; quorum prima tria ad quamcumque fictionem poëticam facilè pertinent.

*Materia* fictionis hujus eſt quidquid exiſtimatur evenire potuiſſe. Quare ſive Actionem fingat omnino, ſive veram fictionibus Poëta circumveſtiat, poterit inducere bella, victorias, ludos, venationes, itinera, tempeſtates, ſomnia, colloquia, ſermones rei etiam inanimis, ut regnorum, urbium, fluminum, &c. deſcriptiones locorum, aut rerum fictarum. Præterea licebit plura fingere, quæ naturæ vires excedant, dum ut ope divinâ facta narrentur; ſic eſſent itinera vel per aërem, vel ad loca infera, tempeſtates nutu ſedatæ, arma cœleſti operâ fabricata, oracula, auxilia è cœlo dilapſa, ſexcentaque ejuſmodi, quæ res, & ingenium Poëtæ ſuggerent.

*Veriſimilitudo* fictionis exigit, ut, quidquid effingimus, ſuis ita coloribus exprimatur, ſpectatis loco, atque tempore, perſonarum etiam ætate, moribus, conditione, & genere, aliiſque circumſtantiis, ut nihil ſit abſonum, nihil difficile crediti, nihil ſupra vires ejus, cui res affingitur, nihil illi inconveniens, ſed exiſtimari facilè omnia poſſint contigiſſe: quo tamen monito à fictione poëtica *admirabile* non excluditur, cujus in Epopœja habenda eſt ratio quàm maximè. De hac veriſimilitudine plura dixi *lib. I. Inſt. III.* ubi de Fabula.

*Unitas* fictionis in eo ſita eſt, quòd quamvis res diſpares, diverſaſque unum Poëma complectatur; illarum tamen rerum omnium tanta ſit inter ſe connexio, ut una ex altera pendeat, & in unum aliquid videantur coaleſcere; neque quidquam ex illis demi poſſit, quin aut rerum ordo, aut fabulæ venuſtas corrumpatur. Cura igitur, ut tota fictio ſibi reſpondeat, & prima mediis, media poſtremis non diſſideant. Juvat etiam, ſi dum in re aliqua immoraris, aſpergas rerum futurarum ſemina; quo fit, ut inter ſeſe omnia connectantur.

*Magnitudo* fictionis ita temperetur, ut actio primaria ab initio ad finem uſque uno circiter anno aut geſta ſit, aut geri potuerit. Sic Virgilius quatuor menſes ſupra annum Æneidi attribuit, Iliadi Homerus annum integrum, Odyſſeæ quinquaginta tantùm dies. Epiſodia verò nullis temporis limitibus definiuntur: ſic Æneis, per epiſodia ab capta Troja initiū ducit, atq; ad Auguſti uſque tempora deſcendit. Sunt autem Epiſodia [Narratio alicujus rei connexa cum Actione primaria, non tamen ita, ut, eâ ſublatâ, deficeret etiam Actionis primariæ integritas] ſic narratio trojani excidii celebre eſt Æneidos epiſodium, maximè cum Æneæ adventu in Italiam, & Urbis ædificatione connexum, immo horum integra notitia multùm ab ejus excidii cognitione dependet; at non ita, ut ſine ea narratione non potuerit integra ejus Actionis primariæ fabula proponi. Quòd ſi de alia fictionis magnitudine quæras, nempe de verſuum numero; dicam non debe-

debere facilè decem, aut duodecim millia verſuum excedere, inſtar Virgilii, & Homeri.

*Ductus* fictionis totius is ſit, ut ſuos habeat nexus fabula, ſuamque ſolutionem. Nexus verò ea ſunt fabulæ pars, quæ ab initio eò uſque protenditur, ubi Poëta ab infelicitate Herois ſui ad ejuſdem felicitatem tranſit. In iis quidquid adverſi, atque difficilis Viro obvenerit, enarratur. Solutio eſt altera pars fabulæ, quæ ab illo tranſitu ad exitum uſque excurrit: ſic in Æneide ea, quæ certamini Æneæ cum Turno præmittuntur, nexus loco ſunt; quæ ſequuntur, ſolutionem habent.

## ARTICULUS III.

### *Epopœjæ Partes.*

QUatuor ſunt Epopœjæ partes; Propoſitio, Invocatio, Narratio, & Clauſula, de quibus ſingulatim agendum.

*Propoſitio* eſt prima Epopœjæ pars, in qua Poëta ſummatim, verecundè, atque dilucidè proponit, quid toto Poëmate ſit dicturus.

*Summatim* proponet, ſi brevibus omnino verbis utetur, neque ad alia liberius excurret, quæ parum ad rem faciunt: licebit tamen aliquid addere, quod ad attentionem, benevolentiamque comparandam faciat. Utrumque optimè præſtat Virgilius primis ſeptem carminibus.

Proponet *verecundè* ſi abjecta omni granditate,

ar-

atque exquiſito ornatu, rem demiſſe, atque ſimpliciter proponet, ſicuti Virgilius: ſatius enim eſt modeſto, demiſſoque ſtylo incipientem paullatim in decurſu magnificentius aſſurgere.

Proponet *dilucidè*, ſi ſine circumductis periodis, phraſibuſque remotis a communi uſu, claritatem curet, tum in verbis, tum in ſententia.

*Invocatio* eſt pars Poëmatis altera, qua divinam opem Vates implorat, ut Poëma, quod opus eſt ſatis arduum, cœleſti afflatu perficiat. Ethnici Poëtæ commentitia nomina invocabant. Chriſtianus Dei O. M., Chriſti Servatoris, Deiparæ Virginis, Angeli tutelaris, aut alterius e Cœlitibus auxilium imploret. Quod ſi viri alicujus illuſtris geſta commendat, vel opus illi dedicat; poterit & illum invocare.

Invocationem Græci cum propoſitione involvebant: ſic Homerus in Iliade: *Iram cane Dea Pelidæ Achillis*. Latini Virgilium imitati ſolent alteram ab altera ſejungere: hæc autem invocatio poterit in decurſu Poëmatis iterari, cum grave aliquid dicendum occurrit: ſic Virg. VI. *Æn.* Inferorum loca deſcripturus invocationem reponit: *Dii, quibus imperium &c.* & alibi.

Pars præcipua, ac veluti Epopœjæ corpus eſt Narratio, cujus gratia propoſitio, & invocatio præmittuntur. In ea fabulam ſibi Epicus Poëta perſequitur, ſervata rerum, atque temporum ſerie, non hiſtorico more; ſed inſtar Homeri, & Virgilii a mediis etiam initium narrandi ſumat ab

eo

eo loco, in quo illuſtre aliquid aptum excitandæ admirationi invenerit: antecedentia verò per epiſodium aliquod edoceat, inſtar Comicorum, qui res antecedentes, a quibus fabulæ dependent, in prima parte fabulæ per Actorem aliquem edicunt. Actio verò principalis ex eo loco, unde initium facimus, ad exitum uſque, ſervato rerum ordine, deducenda eſt: ita Virgilius cùm a narratione itineris Æneæ Italiam verſus exorſus fuiſſet, quæ reliqua erant, ſerie tẽporum exponit: antecedentia autem, Trojæ videlicet excidium, atque Æneæ uſque in Siciliam itinera per epiſodium ſecundo, ac tertio libro edocet. Licebit etiam initio cauſas rerum altè repetere: ut qui ſit rem grandem enarraturus.

Narrationi huic tres attribuuntur virtutes, Perſpicuitas, Probabilitas, Brevitas. *Perſpicuam* habebis, ſi omnia ſtudueris explicare quàm clariſſimè, ſi frequentes Poëtarum fabulas, aut alluſiones ad hiſtorias, vel dicta ſapientum, præſertim ſi ſint ex minùs obviis, non infarcies; ſi obſoleta verba, aut longiuſculas parentheſes, aut violenta hyperbata non uſurpaveris. Habebis *probabilem*, ſi veriſimilitudinis habueris rationem, juxta ea, quæ præcedenti Articulo docui. Habebis *brevem*, ſi in narrando, rem altiùs non repetas, aut ultra producas, quàm oportet; ſi parcus verborum rem ita aut fusè, aut ſtrictim dicas, ut ejus aut majeſtas, aut tenuitas poſtulaverit,

Nar-

Narrationi paſſim epiſodia inſeruntur, quorum unum, aut alterum copioſiùs etiam exponi poterit. Plura ſunt apud Virgilium, ut narratio trojani excidii apud Didonem, Ludorum deſcriptio, Deſcenſus ad loca inferna, &c.

*Clauſulæ* nulla certa eſt lex: vel enim opus ipſa narrationis abſolutione concluditur; hujuſmodi ſunt Æneis, Ilias, & Odyſſea; vel facta loci, atque temporis mentione, quibus Poëta librum ſcripſit; vel ſibi gratulando, & immortalitatis ſpe quodammodo blandiendo; ut Metamorph: Ovid. vel aliâ viâ.

## ARTICULUS IV.

### *Epopæjæ ſtylus.*

STylum amat Epopœja majeſtate gravem: quare verba ipſa ſplendida ſint, carmen numeroſum, quod tamen nimiam facilitatem refugiat, ne Elegiacam dulcedinem ſapiat: graves etiam ſententias, frequentes figuras, & tropos, amplificationes, deſcriptiones, ſimilitudines; quorum Virgiliana exempla, & particulas, quibus ad ea tranſitur, invenies *Inſt. I. c. IV.* omnemque dicendi ornatum deſiderat. Interſerit paſſim motus animi vehementes, dolorem, lætitiam, metum, cupiditatem, iracundiam; colloquia item, mores varios, graves orationes, exitus inopinatos, argutias, fabellas, aliaque ejuſmodi, quæ ad ve-

an-

nuſtatem maximè faciunt. Spondaici carminis uſus pro re, & loco majeſtati non nihil inſervit. Curet inſuper quammaximè Poëta, ut exemplo Virgilii ſonus ipſe carminis, & pedum, ac litterarum diſpoſitio cum rerum natura congruant, quas exponit, juxta ea, quæ hac de re præcepta habes *Inſt.* I. *c.* VII. quod tum maximè præſtandum, cùm vehemens aliquis affectus exprimitur. Demum ſententia non ſingulis quibuſque verſibus concludatur; ſed aut in fine, aut in medio verſûs, prout ejus magnitudo poſtulaverit, ſiſtat.

## C A P U T VIII.

### *De Dramatica Poëſi.*

## A R T I C U L U S I.

### *Quid ſit Drama.*

DRama universè ſpectatum eſt [ Imitatio humanæ alicujus Actionis, quæ una ſit, veriſimilis, & juſtæ magnitudinis: non tamen narrando, ſed agendo, metro repræſentatur. ] Dicitur *Imitatio humanæ actionis*, quòd ejus materia eſt fictio humanæ actionis alicujus. Hæc autem Actio ſit *una*, ac *veriſimilis* eo ſenſu, quo talem diximus oportere eſſe actionem Epopœjæ. Sit etiam *juſtæ magnitudinis*, quæ duplex eſt, Quantitatis, & Actionis. Magnitudo quantitatis poſita eſt in nu-

numero verſuum, qui tot ſint, ut inter duas, aut ſex horas poſſit Drama totum exhiberi; ita ut nec brevius horis duabus, neque ſex longius ſit. Magnitudo Actionis ſita eſt in hoc, ut actio principalis unius diei ambitu, vel ad ſummum bidui, abſolvi potuiſſet, ſi re vera accidiſſet: quòd ſi ea id temporis ſolum teneret, quo exhibetur in Scena, certè eſſet perfectior; qua lege velim excipias epiſodia, quæ etſi rariora, atque breviora eſſe oporteat, quàm quæ adjiciuntur Epopœjæ, limites tamen temporis Dramati præſtitutos excedunt.

Ex hac temporis limitatione deduces, oportere, ut omnia, quæ ſunt Actionis primariæ, in uno, eodemque loco facta eſſe videantur: non enim, niſi violata hac temporis lege, poterit eadem Actio in locis diſſitis agi. Licebit tamen nunc domi, nunc in via, nunc in pomario, nunc etiam in vicina ſilva perſonas eaſdem producere; hoc enim temporis lex minimè vetat.

Rurſum hæc fabula metro videtur eſſe colliganda; nam licèt ex Recentioribus non deſint, qui ſoluta oratione dramata conſcripſerint, (quos non facilè improbaverim) eorum tamen opus Poëma dici non poteſt. Deniq; *non narrando*, ut Epopœja, *ſed agendo* eſt exhibenda; per perſonas nimirum in Scenam productas, quæ inter ſe agant, & colloquantur.

Dramatis duæ ſunt ſpecies, Tragœdia, & Comœdia: ſed quoniam in multis illæ conveniunt, diffe-

Digitized by Google

differunt in paucis; de Dramate primùm univerſè ſpectato agam; deindè quid inter eas ſpecies interſit, aſſignavero.

## ARTICULUS II.

### *De Fictione Dramatis.*

Actio, quæ in Dramate repræſentatur, aut tota ficta ſit; aut vera quidem, ſed ita fictionibus circumveſtita, ut fabula omnino dici debeat: fictionis hujus venuſtas in eo ſita eſt, ut admirabilis ipſa ſit, valdè in ſe implexa, multiſq; nodis implicata, adeò ut vix appareat, qua via demum poſſit diſſolvi, atque ad exitum perduci: ſed tamen per aliquam *Peripetiam*, aut per *Agnitionem*, (de quibus mox dicam) aut per utramque nodi omnes diſſolvantur; quare fictionis hujus duæ ſunt partes, Nexus, & ſolutio.

*Nexus* dicitur totum id, quod a principio ad ultimam uſque implexionis partem excurrit. Solet is implicari per aliquem errorem, ſive ignorantiam rei alicujus, vel perſonæ, quæ ad eam Actionem pertineat: qui error vel ſit mutuus inter duos, vel ſimplex; cùm ſcilicet alter alterum, a quo cognoſcitur, non cognoſcit. Hic autem nexus ita protrahatur, ut ad Dramatis duplicem magnitudinem ſatis ſit. Quòd ſi non ſufficiat ad id unus error, primum alter excipiat, & hunc tertius, ſi opus fuerit; dùm unus cum altero conne-

rela-

ſtatur, ut ſervetur unitas Dramatis.

*Solutio* eſt altera Fictionis pars, quæ diſſolvit nodos omnes, & ad finem uſque protenditur. In ea plerumque ineſt *Peripetia*, quæ eſt [ Mutatio eorum, quæ aguntur, in contrarium ſtatum: ] ſive ea ſit ex infelici ad felicem ſtatum, ſive contrà. Verùm ut nexus per errorem ſolet implicari, ita ſolutio per erroris *agnitionem* explicat nexum. *Agnitio* autem eſt [ Ex ignorantia in cognitionem mutatio. ] Eam poteris obtinere vel per ſigna aliqua, quæ ſuperveniant, vel per meliorem rei, perſonæ, aut circumſtantiæ alicujus conſiderationem; vel etiam per *machinam*, quæ eſt [ Inopinatum aliquod auxilium a Superis ſupra vires humanas exhibitum. ] Ubi adverte, eò meliorem fore ſolutionem, quò nata potius e re videbitur, quàm quæſita. Cœterùm in omni fictione ſolutionem optimam dabis, cùm aliqua ejus indicia præmiſeris, & quædam veluti ſemina per totam fabulam ſparſeris: tunc enim & ipſa ſolutio e fabula proficiſcitur.

## ARTICULUS III.

### *De Partibus Dramatis.*

DRamatis tres ſunt partes, Prologus, Actus, & Chorus, qui quamvis extra drama eſſe cenſeatur; quia tamen ad ejus ſplendorem non leviter confert, ejus partibus adſcribitur. Prologus

logus eſt Introductio ad fabulam, quæ ad ſpectatores habetur ante ejus initium per aliquam perſonam, quæ aut ad fabulam non pertineat, aut certè non ſit una ex præcipuis Actoribus; quanquam hanc ipſam legem Plautus in ſuis Comœdiis non ſervat. In eo fabulæ argumentum ſolet proponi, excitari attentio, & ſilentium etiam ab auditoribus peti. Ars certa proponendi Prologi nulla eſt, cùm plures, eaſque maximè diſpares inierint vias Dramatici, præſertim Recentiores, quos conſules. Cæterùm breve illud ſit omnino, neque unquam hæc virtus in eo reprehenditur.

Actus ſunt fabulæ partes, in quas tota dividitur. Quinque ſint omnino, vult Horatius; ſed Recentiores tribus contenti ſunt: in quibus nexus omnes fabulæ, atque ſolutio integra contineantur hac lege, ut primus actus, qui fabulam introducit primam habeat implicationis partem, nodi ſemina veluti quædam jaciat, illum deinde paulatim intendat: Secundus contineat implicationis incrementum, & paulatim turbas, atque nodum ad ſummum perducat: Tertius perturbationem initio excipiat, ſed viam aliquam indicet ſolvendi nodi; demum verò artificiosè diſſolvat; quæ ſolutio ad extremum Dramatis rejicienda eſt, quò magis auditorum animus ad finem uſque ſuſpenſus delectetur.

Actus ſinguli dividuntur in Scenas. Scena verò eſt pars actûs, in qua unus, vel plures Actores producuntur, ſine perſonarum variatione, (quod



Digitized by Google

tamen de illis intellige, quarum res præcipuè agitur) quoties autem ex his aliqua accedit, vel recedit, vel omnes immutantur, toties nova inſtituitur Scena. Numerus verò Scenarum in unoquoque Actu major ſit, vel minor, pro ratione magnitudinis rei. Pauciores a Veteribus adhibebantur: Recentiores, quod ſciam, neq; pauciores quàm ſex, neq; plures quàm quindecim, aut etiam viginti, in unoquoque Actu proponunt.

Chorus, qui ab Recentioribus *Intermedium* vocatur, eſt quidquid inter actus Dramatis interponitur, quod ad delectationem ſpectatorum pertinet, & ad elevandum faſtidium, quod longa ad fabulam attentio parere ſolet. Quid debeat Chorus proponere, nulla certa lege conſtat. Recentiores pro libito nunc Saltatores, nunc Gladiatores, nunc Muſicos aliquid canentes extra Proſcenium, vel etiam cantu breve aliquid in Proſcenio repræſentantes, nunc verò alia ſpectacula, quæ faciant ad ſpectatores oblectandos, producunt. Sed ſolent præſertim breves, atque ridiculæ eo tempore actiones exhiberi, a medio foro, a tabernis petitæ, in quibus Actores ſint homines humiles, qui ſolo etiam aſpectu riſum cieant. Verùm de Choro duo obſerva: Unum eſt, quòd maximè placet Chorus ille, qui ex occaſione Scenæ, quæ claudit Actum, enaſcitur: ut ſi in ea milites, aut dæmones producti ſint, iidem ad Chorum habendum in Proſcenio relinquantur. Alterum, non eſſe illum habendum ab Actoribus, qui in Co-

mœ-

mœdia locum obtinent, niſi fortè ſit Hiſtrio, vel perſonæ, ut ajunt, mutæ, quales eſſe ſolent milites, ſervi, &c.

## ARTICULUS IV.

### *De Perſonis, earumque moribus.*

PErſonæ, quæ toto Dramate agunt, ne ſint plures, quàm quatuordecim. In Scenis autem ſingulis tres tantùm, aut quatuor ad ſummum permittitur, ut loquantur.

Earum verò mores ſint Probi, Convenientes, famæ Conformes, & Æquales.

Sint *probi*, ut vitii odium ingenerent, virtutiſq; amorem: nihil tamen vetat, quominus proponantur etiã mores pravi, ac vitia in aliquo ex Actoribus, quò Spectator ea magis execretur; ſunt Crudelitas, Avaritia, Ingratus animus, &c. Verùm hìc monendos cenſeq Dramatum Scriptores, ne impudicitiæ vitio laborantes inducant Actores; periculum enim non leve eſt, ut, dum ſpectantium animos a turpibus contendunt avertere, ad ea potiùs alliciant.

*Convenientes*: ii nimirum mores perſonis tribuantur, qui illas decent pro earum ſexus, ætatis, conditionis ratione. Itaque incovenienter Fœminæ tribueretur fortitudo, Ruſtico ſapientia, furtum Regi, &c.

*Conformes famæ*: hinc nulli quidquam affinges,

quod contra famam ſit: hæc verò lex tunc locum habet, cùm notæ perſonæ producuntur: ſic Alexander benè effingitur generoſus, ac belliger, Ulyſſes callidus, Medea ferox, &c.

Denique *Æquales* erunt, ſi quem ſemel his moribus imbutum protuliſti, cum iiſdem ſemper reponas, neque a ſeipſo diſcrepantem: Audacem aliquem oſtendiſti, ne deinde timidum fingas. Contra hanc æqualitatem facilè peccaveris in variandis animi motibus; quare in horum uſu diligenter attende, quid antea Actor ille præſtiterit.

## ARTICULUS V.

### *De Apparatu, & Nomine Dramatis.*

APparatus alter eſt Theatri, Perſonarum alter. Theatri Apparatus pro diſpari rerum natura, quæ in Scenis ſingulis a perſonis aguntur, diverſus exhibeatur; quamobrem nunc Silvam referat, mox Aulam, deinde Atrium.

Perſonarum apparatus is erit optimus, qui cum perſona, quam Comœdus refert, maximè conſentit: ſic qui Regem repræſentat, regias induat veſtes; militares, qui Militem; paſtoritias, qui Paſtorem, &c.

Nomen Dramatis breve ſit: deſumitur autem vel a perſona aliqua, quæ primas agit partes, ut Terentii *Phormio*; vel a loco, in quo res fingitur eveniſſe, ut Senecæ *Thebais*; vel a re alia principa-

cipali, quæ in eo Dramate exibetur, ut Plauti *Captivi.*

## ARTICULUS VI.

### *Tragœdiæ, & Comœdiæ diſcrimina.*

QUæ hactenus de Dramate docui, Tragœdiæ, atq; Comœdiæ æquè ſunt communia. Reſtat, ut, quæ utrique peculiaria ſunt, breviter expediam.

Tragœdia eſt [Drama inſignem aliquam, ſed infelicem Actionem illuſtris Viri exhibens, ut miſericordiam, terroremque excitet, quibus expientur, & purgentur affectus.]

Comœdia verò eſt [Drama privatam aliquam, atque vulgarem Actionem exhibens, ſed felicem; ad proponendum vitæ privatæ exemplum.]

Jam verò Tragœdia, & Comœdia in his potiſſimùm diſcrepant inter ſe, videlicet in Materia, Perſonis, Affectibus, Exitu, atque Stylo.

*Materia* Tragediæ ferè ſemper ab Hiſtoria petitur, etſi ad fabulam per adjectas fictiones traducatur. Itaque Tragœdiæ Actio tota circa rem aliquam inſignem, non tam perſonarum, quàm ſui ratione verſetur: ſed præſertim atrocitate, atque acerbitate ſit plena, quæ eſt peculiaris Tragœdiæ nota: in quo & ineſſe poteſt ſpectatorum delectatio: non enim per tragicas actiones, ſed per aptam earum imitationem voluptate ſunt ſpectatores

tores afficiendi: ſiquidem imagines rerum etiam atrocium, quas fugimus, atque averſamur, ut cadaverum, & bellorum, non ſine delectatione inſpiciuntur. Cavendum tamen, ne aliquod oculis objiciatur nimis atrox, & fœdum ſpectaculum, v. g. cædes hominum, cruciatus horribiles, aut aliquid incredibile, ut ſunt Metamorphoſes; ſed ea vel ab aliquo mox gerenda prænuncientur; vel poſtquam geſta fuerint, per nuncios, aut aliam perſonam, enarrentur.

Comœdiæ contrà *Materia* tota fingitur, de rebus eſt humilibus, ac plebeis; quæ neque admirabiles ſint, neque terribiles, ſed lætæ, & joculares; ut luſus, nuptiæ, ſervorum aſtus, ſenes decepti, emuncti argento. &c.

*Perſonæ* in Tragœdia illuſtres ſint, ex urbibus, atque regiis accerſitæ, Reges, Ductores exercituum, Purpurati. Ignobilioribus verò perſonis ſuus eſt & locus in Tragœdia, modò ex ſecundariis ſint. Hiſtriones tamen vix admittuntur.

Comœdiæ verò perſonæ humiles ſint, & plebejæ à pagis, & rure deſumptæ. Hiſtrionum verò liberior uſus.

*Affectus*, quos in Tragœdia per rerum atrocium conſpectum excitare contendimus, ſunt Miſericordia, & Terror: quibus animus facilè à pravis affectibus purgatur; dum enim illuſtrem aliquem hominem gravi calamitate preſſum videmus; miſeremur primò illius, deinde terremur,

atque

atque timemus, ne quid tale etiam nobis accidat: quare cauti efficimur, ne aliquid admittamus, unde parem calamitatem toleremus.

Comœdiæ *Affectus* ſedatiores ſint, riſumque, atque lætitiæ excitãdæ accommodati, quibus privatos homines bonis moribus ſuaviter inſtituit.

*Exitus* Tragœdiæ ferè ſemper infelix; quod in Comœdia nunquam. Cum hac tamen infelicitate optimè componuntur rerum proſperarum narrationes, dum per Peripetiam, quæ grande eſt Tragœdiæ ornamentum, immutatâ fortunâ, læta initia luctuoſus exitus excipiat. Quod ſi ſeries tota Tragœdiæ fuerit luctu plena, poterit aliquando felici exitu terminari ſpectatorum gratiâ, qui malunt læti domum redire, quàm triſtes.

*Stylus* in Tragœdia gravis, ac ſublimis ſit, aſperſus ſententiis; verbis electis compoſitus, ſonantibus, illuſtribus, quæ nimirum cum re ipſa, quæ agitur, maximè conſentiant. Demittit tamen ſe decenter Tragœdia, cùm Actor ignobilis loquitur. Verſus ſit Jambicus Trimeter; Chorus verò alia verſuum genera facilè admittit.

Contrà Comœdia ſtylum amat tenuem, ſuavem, atque a vulgari loquendi ratione minimè remotum: figuras infimas, ſententias vix ullas, ſales, & jocos frequentes, verba etiam trita, atque uſitata. Metrum ipſum (quod Jambico verſu componitur; ſed ab omni ferè lege ſoluto) optimum erit, ſi ad ſolutam orationem accedat.

Hæc intercedunt inter Tragœdiam, & Comœdi-



Digitized by Google

am diſcrimina. At quid, ſi illuſtres perſonæ ad fabulam Comicam peragendam inducantur? Erit tunc tertia quædam Dramatis ſpecies, quæ Tragicomœdia dicitur, in qua exitus ſemper eſt lætus, res modò ludicræ, modò triſtes, & ſeriæ. Perſonæ illuſtres aliquæ, aliæ humiles. Stylus ſublimis, aut humilis pro re, & perſona, quæ inducitur. Amphitruo apud Plautum Tragicomœdia eſt.

## CAPUT IX.

### De Silva.

## ARTICULUS I.

### De Poëmatis Silvarum in genere.

Silva propriè eſt [ Carmen ſubito venæ calore, facili, ac levi ſtylo deductum, neque ſatis ab Auctore caſtigatum. ] Hoc nomine vocat Statius libellos ſuos, in quibus plura ſunt minora Poëmata, quæ non levem habent inter ſe affinitatem; ut Epithalamia, Genethliaca, Epicedia, Propemptica, atque his ſimilia; quæ hoc uno capite omnia complector.

In ſingulis autem his Poëmatis duo præcipuè ſpectanda ſunt; alterum, quod Materiam voco; alterum, quod Formam.

*Materia*, res nimirum, de qua unum quodque ex illis agit; & capita, per quæ in re tractanda poteſt excurrere, eadem ſunt omnia, quæ in Soluta Oratione *Inſtit. V.* cùm de ſingulis agerem Ora-

tio-

tionum generibus, propoſui: v. g. Oratio Genethliaca natalem diem alicujus celebrat. Continet autem hæc capita. Exorditur per verba plena gratulationis, & lætitiæ: expendit deinde adjuncta, quæ ortum præceſſere, aut comitantur, aut ſubſequuntur. Vota demum habet pro pueri incolumitate. Hæc eadem capita Genethliacum Carmen amplectitur. Idem exiſtima de reliquis horum Poëmatum generibus: quare, ne videar actum agere, de eorum *Materia* omitto quidquam præcipere.

*Forma* verò horum Poëmatum eſt Poëſis ipſa, quæ in poëtica fictione, atque ſtylo ſita eſt.

Fictio in his Poëmatis ſuam ſervet veriſimilitudinem, ſuam etiam unitatem; negotioſa tamen eſſe non debet, nec implexa; nullos aſciſcit nexus, nullam ſolutionem: ſed facilis ſit, atque hilaris, rei, quæ tractatur, accommodata. Neque ſi fictionem omnem omiſeris, totuſque eris in re ſtylo poëtico amplificanda, atque exornanda, idcirco reprehenderis.

Stylus poëticus in Silvis non ſit gravis, aut tumidus, ut Epopœja; neque tenuis, ut Ecloga; ſed medius, atque omni cultu, apparatuque poëtico, qui ad delectationem faciat, exornatus. Verſus uſitatior eſt Hexameter Heroicus: poterit tamen Elegiacus etiam, & Lyricus uſurpari: ſed ut ſtylum, atque artem Silvarum in ſingulis earum generibus aſſequaris, caput eſt legere optimos earum Scriptores, Statium, & Claudia-

num,

num, ex quibus faciliùs hauſeris, quid in hoc genere edici, aut præcipi poteſt.

## ARTICULUS II.

### *De ſingulis Silvarum Poëmatis.*

HOrum præcipua ſunt Panegyricus, Genethliacum, Epithalamium, Gratulatio, Carmen Euchariſticum, Epicedium, & Protrepticum, quorum omnium materiam habes *Inſt. V. Cap. I. & III.* Præterea Epinicium carmen, Sotericum, Propempticum, & Paræneticum, quorum materiam breviter proponam, eorumque exempla indicabo.

I. *Panegyricus* eſt [carmen in laudem rei, vel perſonæ alicujus inſtitutum.] Lege Claudianum in laudem Stiliconis: *Continuant ſuperi*: eundem in laudem Serenæ: *Dic mihi Calliope.*

II. *Genethliacum* eſt [carmen, quod naſcentibus accinitur.] Lege apud Statium *lib. II.* Lucani Genethliacum: *Lucani proprium*: & *lib. IV.* Genethliacum ad Julium Menecratem ob prolem: *Pande fores ſuperſim.*

III. *Epithalamium* eſt [carmen, quod in nuptiarum pompa cani ſolet.] Lege in Statio *lib. I.* Epithalamium Stellæ, & Violantis: *Unde ſacro latii*: in Claudiano Epithalamium in nuptiis Honorii: *Princeps coruſco*: & in nuptiis Palladii: *Forte venus blando.*

IV. Gra-

IV. *Gratulatio* eſt [ carmen, quo alicui pro reportata dignitate gratulamur ] Lege Statium *lib.* IV. ad Domitianum Cæſarem pro Conſulatu: *Lætabis octenis*: Claudianum ad Probinum, & Olibium pro Conſulatu: *Sol, qui flammigeris*.

V. *Euchariſticum* carmen eſt, [ quod pro accepto beneficio canitur in gratiarum actionem. ] Lege Statium *lib. IV.* pro epulo ad Domitianum: *Regia Sidoniæ*: Horatium *lib. IV. Ode II. Quem tu Melpomene*.

IV. *Epicedium* eſt [ carmen, quod in alicujus funere canitur . ] Lege Statium *lib. II.* in Glauciæ obitu: *Quod tibi prærepti*: & Pileti Urſi: *Sæve nimis lacrymis*: & *lib. V.* in morte Patris: *Ipſe malas vires*: & Filii: *Me miſerum! neque enim*: Lege etiam abſolutiſſimum Epicedium apud Horatium *lib. I. Ode XXIV.* in morte Quintilii: *Quis deſiderio*.

VII. *Protrepticum* carmen, ſive Adhortatorium eſt [ quo alios ad aliquid faciendum impellimus. ] Lege Statium *lib. V.* ad Criſpinum: *Rura meus Tyrrena*: Horatium *lib. II. Ode IX.* ad Valgium: *Non ſemper imbres*.

VIII. *Epinicium* eſt [ carmen pro reportata victoria conſcriptum. ] In eo celebratur victoria ex ejus circumſtantiis, ex multitudine, & robore hoſtium, ex paucitate ſuorum, ex loco, tempore, &c. Explicatur, qui fuerit ejus fructus, commendatur tum Imperatorum prudentia, cùm militaris virtus. Funduntur demum preces pro Patriæ, Victoriſque incolumitate. Lege Claudianum de

bello

bello Gildonico: *Redditus imperii Auſter*: & de bello Getico: *Intacti cùm clauſtra freti*: Lege Horatium *lib. III. Ode XIV. Herculis ritu* : *lib. IV. Ode IV. Qualem miniſtrum.*

IX. *Sotericum* carmen eſt [ quod pro recepta ſalute, vel vitato gravi periculo canitur . ] In eo lætitiæ ſigna edat primò Vates ; deinde periculi magnitudinem exaggeret , in ferendo conſtantiam, felicitatem in evitando:bona inde orta,omniumque lætitiam prædicet;Deo acceptum beneficium referat , agatque gratias : tum pro valetudine in poſterum tuenda roget . Lege Statium *lib. I.* pro Rutilio Gallo: *Eſtis io ſuperi.*

X. *Propempticum* carmen eſt,[quo amico proficiſcenti fauſtum iter apprecamur. ] In eo dolorem noſtrum exaggeramus ex amici diſceſſu;eundem hortabimur, ut citò redeat ; Superoſque, ut illum incolumem reddant , exorabimus . Lege Statium *lib. III.* in diſceſſu Metii Celeris: *Dî quibus audaces*: Horatium *lib. I. Ode III.* in diſceſſu Virgilii: *Sic te Diva potens.*

XI. *Paræneticum* carmen eſt [quo præceptum ſapientiâ plenum ſcribit Poëta, quod faciat ad rectè vitam inſtituendam. ] Hoc a Protreptico artificium mutuatur . Lege Horatium *lib. II.* ad Dellium: *Æquam memento lib. I. Ode XIV.* ad Remp. *O navis referent*: *lib. II. Ode X.* ad Licinium: *Rectiùs vives Licini.*

## CAPUT X.

*De Symbolis, Emblemate, Inſcriptionibus, Epitaphio, Anagrammate, Ænigmate, cæteriſq; ludis poëticis.*

POſtremo hoc capite de his omnibus agere ſtatui; utpote quæ, etſi ſæpe carmine non ſcribantur, tamen & cum poëſi ſunt maximè affinia, & poëtici ingenii opus maximè redolent.

### ARTICULUS I.

*De Symbolis, & Emblemate.*

SYmbolum, (cujus inventio Ægyptiis, & Caldæs, ante expreſſam notarum, aut characterum inventionem, tribuitur,) ut hìc ſumitur, eſt [ſignum, ſeu figura occultæ rei, quæ doctis intelligenda proponitur.]

His Symbolis (quæ Hieroglyphica etiam, id eſt, ſculpturas ſacras, appellarunt,) arcana ſapientiæ myſteria, quæ imperitam multitudinem omnino latere vellent, abſcondebant. Sic oculo depicto, cui ſceptrum ſubſtituebant, Deum omnia videntem, ejuſque ampliſſimum imperium deſignabant. Sic pro Tempore Serpentem pingebant, eò quòd ſcili-

ſcilicet longus ſit, multiſque voluminibus flexuoſus leniſſimè repat. Sic denique Olivam pro Pace, Cupreſſum pro Morte uſurpamus.

*De Symbolo Heroico.*

Sed aliud eſt, non ſolùm vetuſtâ, ſed etiam hac noſtra ætate longè acceptiſſimum Symboli genus, etſi difficillimum, quod ab aliis Heroicum Symbolum, ab aliis verò Phrenoſchema, vulgò *Impreſa*, nuncupatur. Definitur autem [ picta metaphora, ſive imago quædam picta rem aliam non pictam ſignificans propter utriuſque ſimilitudinem; addito gravi, atque brevi lemmate, quod utriuſque connexionem oſtendat. ]

Ex qua Definitione habes I. Symbolum Heroicum neque ſolò lemmate confici; pictura enim, quæ ſimilitudinem exprimat, neceſſaria omnino eſt, utpote hujus Symboli materia; neque ſolà picturâ; cùm per eandem rem multa, & diverſa, poſſint ſignificari; ut v. g. *leo pictus*: at lemma, ſi addas, jam certi aliquid ſignificabit; hinc lemma, ſeu ſententia rectè dici ſolet Symboli forma.

Habes II. ad proprium, ac verum Symbolum requiri ſimilitudinem inter figuram pictam, & rem illà ſignificatam, quippe ubi hæc ſimilitudo non intercedit, nullum erit Symbolum.

Habes III. Lemma, (quod latino, græco, vel etiam vernaculo idiomate ſcribi poteſt) breve adeò eſſe debere, ut tria, aut quatuor perquam rarò excedat verba: permittitur tamen integrum italicum carmen. Curandum etiam maximè, ut

vo-

voces illæ claræ ſint; & rei, quæ ſignificatur, accommodatæ. Cave tamen, ne illa verba rem, quam ſignificatam velis, exprimant, ſed generali quodam effer modo, qui reſpondeat figuræ ſignificanti, reique ſignificatæ: ſic ſi exprimatur Solaris radius Cryſtallum penetrans cum lemmate: *Pervadit, nec lædit iter*: ſignificabis Integerrimæ Virginis partum; quod enim propriè convenit Solari radio, ut penetret Cryſtallum, nec inde hæc lædatur; hoc per metaphoram congruit admirando Deiparæ partui.

Præter has, quas hactenus recenſui, hæ conveniunt dotes perfectiſſimo Symbolo:

I. Figura è rebus naturalibus potiùs, iiſque vulgò notis, quàm ab artefactis, petatur.

II. Nobilis ſit: ſic ad exprimendam Ducis fortitudinem meliùs leonem, quàm aliud ignobile animal depinges: quanquam & ignobile corpus apud probatos Auctores Symbolo figurā præbeat.

III. Ne humanum corpus depingatur: partes verò corporis humani, ut oculus, cor, manus, brachium extenſum, permitti poſſunt.

IV. Plures figuræ ne adhibeantur, niſi fortaſſe unum quid faciant, unique ſerviant ſententiæ: v. g. *plures ſtellæ: flos & apicula.*

V. Figura totum Symbolum non ita conficiat, ut a ſententia nihil ſignificationis, aut claritatis addatur.

VI. Multùm laudatur ſententia, quæ ab aliquo Au-

Auctore claſſico petitur; ſimiliter ſi ad res geſtas, vel dignitatem, vel nomen, vel gentilitium ſtemma ejus alludat, in cujus gratiam conficitur. Sic Cardinalis Franciſcus Gonzaga Aquilam (gentilitium inſigne) depingens cum olivæ ramo, addidit lemma: *Bella gerant alii*: ut exprimeret, alios ſuæ familiæ heroes armis, ſe verò pacis gloria conſpicuum.

VII. Sententia omnia tempora, & modos admittit, ſed indicativum præſertim amat; at prima, vel tertia perſona, niſi figura ipſa inducatur loquens, plerumque uſurpanda.

VIII. Maxime probatur lemma, quod aliquid de induſtria reticet, facilè a lectoris ingenio inveniendum: placet etiam ſummopere, ſi æquivocum ſit; quale fuit illud Henrici Secundi Galliarum Regis, qui Lunam expreſſit creſcentem cum hac epigraphe: *donec totum compleat orbem*: ubi orbis æquivocè ſumitur.

## *De Emblemate.*

Symbolo Heroico maximè affine eſt *Emblema*; atque ab illo artificium mutuatur: quamobrem ſolùm hìc explicabo, quid potiſſimùm inter ea ſit diſcriminis.

Diſcrepat autem I. Emblema a Symbolo, quòd illud magis eſt populare, atque ad hominum mores pertinet; Symbolum verò heroicum rejicit quidquid cum laude, ac decore conjunctum non eſt.

II. Emblema clariùs, atque apertiùs picturam ex-

exponit: Symbolum brevi, acutoque lemmate eſt contentum.

III. Emblematis explicatio ſi noſtra, melior reputatur; Symboli, ſi aliena ſit, magis probatur.

IV. Denique Symbolum nec quamlibet, nec plures figuras admittit; ſecus verò Emblema.

Addo jam Emblematis exempla. Quidam ut malæ conſcientiæ tormenta ſignificaret, Reum depinxit eculeo ſuſpenſum, quem circumſtantes undique Furiæ, flagris, ac facibus crudeliſſimè torquebant, addito hoc Epigrammate:

*Vincla, cruces, cippi, plectant malefacta, rotæq;*
*Siqua vel eſt gravior pœna ſtatuta reis:*
*Conſcia nequitiæ, peſtis ſed peſſima mens eſt,*
*Tiſiphoni pejor, tartareoque cane:*
*Namque minax hydris, ſtygiiſque armata flagellis,*
*Carnificem æternum pectoris intus agit.*

P. Gambertus in funere Franciſci Primi Eſtenſis Mutinæ Ducis Mortem depinxit, falcem undique rotantem, quæ Reges, Pauperes, Pueros, Senes hinc inde demeſſuerat, adjecto hoc lemmate ex Horatio deſumpto: *Quanta movet funera.*

Alius Solem expreſſit nocturnas Aves, & feras ortu ſuo detrudentem, ut D. Xaverium ſignificaret, qui ingentem Ethnicorum manum telis in Chriſtifideles ruentium ſolus terruit, ac fugavit, cum hoc lemmate: *Satis unus in omnes*; & hoc Epigrammate:



Digitized by Google

*Et ferro, & ſtygii furiis armata Tyranni,*
*Aggreditur Fidei perfida turba gregem.*
*Milite Franciſcus nullo*, ſatis unus in omnes,
*Oppoſito, pugnat, quem gerit ore, Deo.*
*Sol fugat exortu noctis volucreſque, feraſque;*
*Agmen & hoc Solem te, fugiendo, probat.*

## ARTICULUS II.

### *De Inſcriptionibus.*

NOn eſt hìc ſermo de longioribus illis Inſcriptionibus, quæ per modum Lapidaris Elogii aut ſcribi ſolent, aut potiùs ſcriptæ finguntur, & Elogia dici conſueverunt; de his namque in Soluta Oratione *Inſt. V. Cap. IV.* dictum eſt; ſed de iis ſolùm agimus, quæ ſive ſoluta, ſive ligata oratione ſcribantur, breves omnino, ac perſpicuæ eſſe debent, ne commodè a Viatoribus, atque obiter nequeant legi.

Hæ autem inſcriptiones, quæ in publicis Ædibus, Urbium portis, Mauſolœis, Arcubus, & his ſimilibus locum habent; duplicis generis eſſe poſſunt. Primi generis ſunt, quæ ſine argutiis, ſine cultu, ad poſterorum memoriam excitandam alicui magno operi imponuntur.

In his neceſſaria perſonæ, loci temporis, & modi adjuncta paucis explicantur, ſed non ineleganter. Plura, tum in hac, tum in aliis Urbibus ubique occurrunt legenda.

Unam

Unam vel alteram ex celebrioribus ſeligam.

In exteriore Romani Collegii Proſpectu.

*Religioni, & Bonis Artibus.*

In ejuſdem Collegii Templo, in quo Gregorius XV. qui Ignatium Loyola Sanctorum numero adſcripſerat, ejuſque nepos Card: Ludoviſius, qui Templum excitarat unà tumulantur.

*Alter Ignatium Aris*
*Alter Arás Ignatio:*

In Prognaculo ad mare, Panormi a Prorege Joanne Vega conſtructo.

*Dedit Vega & Nomen, & Formam.*

Secundi generis Inſcriptiones ſunt, quæ non tam ad rem explicandam, aut ad excitandam memoriam, quàm ad ornatum, & venuſtatem rebus apponuntur: hæc præter brevitatem, & claritatem aliquid etiam acuminis ſecum afferant neceſſe eſt. Si ſolutæ ſint, inciſa amant, longiores periodos reſpuunt, & inſtar Elogiorum conſcribuntur: ſi verò ligatæ metro, Hexametrum duntaxat, & Pentametrum admittunt, nec quartum verſum ſolent excedere. En Exempla:

In Fontem
In ipſo novi portus ore
Panormi excitatum an. MDLXXX.

*Surgunt in noſtris miracula, ſedibus, hoſpes,*
*Lympha ubi dura ſilex, terra, ubi pontus erat.*
*Urbis opus tantæ eſt fluctus cohibere furentes,*
*Et vitreis paſſim ſpargere nectar aquis.*

In Alium fontem,
qui ad maris littus ſcatet.

*Accipite o natæ Nereo, quas fertis amaras,*
*Reddit ab hoc dulces fonte Panormus aquas.*

## ARTICULUS III.

### *De Epitaphio.*

EPitaphium eſt [ brevis Inſcriptio, quæ vel ſolutâ, vel ligatâ oratione Defunctorum ſepulchris ſolet ſuperſcribi. ] Quadruplicis generis eſſe poteſt: Hiſtoricum, Exornativum, Æthicum, ſeu Morale, & Satyricum.

*Hiſtoricum* eſt, quod rem nudè exponit; Defuncti videlicet nomen, patriam, officia, ætatis annos, & diem mortis.

Tale eſt Epitaphium Ovidii, quod de ſeipſo ſcripſit *lib. III. Triſt.*

*Hìc ego, qui jaceo tenerorum luſor amorum,*
*Ingenio perii Naſo Poëta meo.*

Tale etiam illud Daphnis in *Ecl. V. Virg. Daphnis.*

*Daphnis ego in Silvis hinc uſq; ad Sidera notus,*
*Formoſi pecoris cuſtos, formoſior ipſe.*

*Exornativum*, quod vel Defuncti laudes complectitur vel in eundem benevolentiam, aut gratum animum conteſtatur.

Tale eſt, acutiſſimum illud Antoni Venetiani Epitaphium, in quo ſic Matrem inducit defunctæ

Fi-

Digitized by Google

Filiæ alloquentem.

*Debueras charæ nata officioſa parenti*
*Condere viſceribus te potuiſſe meis.*
*Sic uteri munus tumulo ſolviſſe viderer,*
*Et primam ſummâ reſtituiſſe diem.*
*At cùm te lapide includi, non corpore detur;*
*Cur non ſum juſto facta dolore lapis?*

Quarè ſtylum expoſcit gravem, ſententiis, argutiiſq; exornatum.

Aliud.

Guidi Rheni Pictoris Celeberrimi
Epitaphium.

*Defluite in lacrymas, & in umbras ite colores:*
*Et tabulæ, & telæ jam ſua fata gemant.*
*Scilicet occubuit, qui vos animare valebat,*
*Et veros muto fingere in ore ſonos.*
*Artem pingendi poſthac ne quære Viator:*
*Cum Guido hìc Rheno contumulata jacet.*

*Ethicum*, ſeu *Morale*, quod monitum continet, ſeu ſententiam de mortalis vitæ caducitate:

Cujuſdam Juvenis
Epitaphium.

*Heu! Heu!*
*Hic ante annos Juvenis jacet,*
*Morti ludibrium,*
*Patri mœror,*
*Matri lacryma,*
*Juvenibus exemplum,*
*Senibus ſuſpirium,*
*Mihi tabum, cinis, nihil.*



Digitized by Google

*Deo quid?*
*Ah Viator cur rogas?*
*Heu!*
*Mox ſcies,*
*Cum hoc de te requirent*
*Alii,*
*Vale.*

Alexandri Magni
Epitaphium

*Sufficit hic tumulus, cui non ſuffecerat Orbis:*
*Res brevis huic ampla eſt, cui fuit ampla brevis.*

*Satyricum* denique eſt, quod Defuncti mores conviciis inſequitur. Uti autem hoc Epitaphio non licet Chriſtianis, niſi in famoſos proditores, hæreticos, & his ſimiles. En Exemplum

In Judam Proditorem.

*Judas Iſcariotes*
*Apoſtatarum Antiſtes,*
*Idolatra Auri,*
*Chriſtum ſequutus ſpe rapaci,*
*Miraculis ejus abuſurus ad queſtum*
*Gratis beneficium vendidit. &c.*

In Laurentium Vallam mordaciſſimum Hominē.

*Tandem Valla jacet, ſolitus qui parcere nulli eſt.*
*Si quæris, quid agat? nunc quoq; mordet humum.*

## ARTICULUS IV.

### *De Anagrammate.*

ANagramma vox eſt græca, quæ latinè tranſpoſitionem ſonat: fit enim Anagramma,

[cùm

[ cùm aliquod, vel plura verba, ſervatis iiſdem literis, aut numeris literarum, in unum aliud, ſive plura vocabula mutantur, quæ cum primis connexionem aliquam in ſignificatione habeant. ] Hinc licet inferre duplex Anagrammatis genus; Literale alterum, alterum Numerale; de utroque breviter agam; ſed priùs

### *De Anagrammate Litterali.*

Anagramma *Litterale* eſt, quod ex literarum tranſpoſitione conſurgit: ſic ſi hujus vocis *Jeſus* literas tranſpones, facilè dabis optimum hoc Literale Anagramma *Vis es*.

Ut autem hoc Anagramma ſit numeris omnibus abſolutum, has ſervet leges.

I. Literæ nominis, quod in aliud convertitur, ordinem omnino immutare debent: nam ubi nulla ordinis immutatio, ſed ſolùm vox unica in plures dividitur, ut *Do minùs* pro *Dominus* nullum Anagramma. Immo ſi idem literarum ordo ita invertatur, ut nulla ſyllaba nominis mutati, (quod Programma dicitur) in nomine mutante, ſcilicet in Anagrammate maneat integra; venuſtius erit Anagramma.

II. Programma longum non ſit adeò, ut integram periodum conſtituat.

III. Anagramma eandem ſervet idiomatis rationem, quàm Programma.

IV. Anagramma argutum aliquid, ingenioſum, quodq; ad rem faciat, adducat, neceſſe eſt; quod nimirum ad laudem, aut vituperationē ejus ſpectet,



Digitized by Google

aut naturã, aut quid ſimile explicet, de quo eſt Programma: ſi enim nihil ad rem afferat, inſulſum erit, & puerile; utpote caſu non conſilio erutum.

Ad faciliorem autẽ Anagrammatis uſum I. poteris literam *H* omittere, quæ erat in Programmate, vel etiam addere in Anagrammate; dum ex ejus literæ detractione, aut additione nihil ſubeat detrimenti vocis ſonus; ut in hoc vocabulo *Homo*: non ſic autem in hoc verbo *Chelis*.

Poteris II. diphtongũ per Diæreſim ſolvere, *Æ* ſcilicet in *A E*, Œ in O E, &c. & contrà duas vocales in diphtongum commutare; ſic *A* & *E* ſeparatæ in diphtongum Æ poſſunt coaleſcere. Licebit etiam *Y* in *I* convertere. Non licet tamen vocalem ſimplicem in diphtongum mutare, aut diphtongum in ſimplicem vocalem.

Poteris III. compendiarias notas, quæ communes omnibus ſunt, ut *D.* pro *Dominus*; *P.* pro *Pater*; *S.* pro *Sanctus* uſurpare.

Hæ leges quò accuratius ſervantur, eò magis probatur Literale Anagramma. Quòd ſi litera addatur, dematur, aut in aliam immutetur, ignobilius quidem erit Anagramma, diceturque Impurum; non tamen propterea contemnendum; cùm & magni nominis Auctores eo utantur.

Denique maximè laudatur Anagramma, quod additum Epigramma explicat, atque exornat: hoc enim ingenii, illud laboris, & fortunæ eſt opus. Tunc verò Epigramma eadem Anagrammatis verba ſolet continere. En Exempla:

Pro-

Programma: *Jeſus Maria.*
Anagramma: *Maris es Via.*

Epigr.

*Stella Maris, Maria; es; tuus eſt Via natus Jeſus:*
*Nato juncta tuo, Stella,* Maris *que* Via Es.

Aliud

Progr. *Pater Henricus Garnietus:*
Anagr. *Pingère cruentus ariſtâ.*

Epigr.

*Quid petit hic vultus ſiccâ redivivus ariſtâ?*
*Quid frons? quid ſacris ora locuta notis?*
*Nominis augurio* pingère cruentus ariſtâ
*Garniete, agnoſco vultum, opus, artificem,*
*Spica tabella, Deus pictor, Color unda cruoris:*
*Spica crucem, vultum dat Deus, aſtra cruor.*

Alia Anagrammatis Litteralis Exempla.

Progr. *Euchariſtiæ Sacramentum.*
Anagr. *Chara Ceres mutata in Jeſum.*

Aliud

Progr. *Ignatius de Lojola.*
Anagr. *O Ignis a Deo illatus.*

Aliud

Progr. *Divus Alexius.*
Anagr. *Exul diu a ſuis.*

Aliud

Progr. *Inſula Melitenſis.*
Anagr. *Milites alens ſinu.*

Aliud

Progr. *Divus Marcus* Evangeliſta.
Anagr. *Sum ad curas Venetas Vigil.*

Aliud

Aliud

Progr. *Stefano Protomartire*

Anagr. *Santo morto fra pietre.*

*De Anagrammate Numerali.*

Alterum Anagrammatis genus eſt *Numerale*, quod etſi majus ſecum ferat negotium, minoris tamen æſtimatur. Fit autem, quoties ſupputatis numeris omnibus, qui ex una, vel pluribus vocibus conſurgunt; vox alia, vel plures inveniuntur, quæ eundem numerum ferant: ſic e. g. ſi vox, ex qua numeri ſupputantur, numerum centenarium abſolvat; vox alia inveniri debet eundem numerum continens, quæ erit Anagramma. Quod ſi vox inventa aliquo numero deficiat, vel abundet; erit Anagramma Impurum. Sciendum tamen hic eſt, ſingulis, quibuſque literis certum numerum reſpondere, quem jam ſubdo.

A. 1. B. 2. C. 3. D. 4. E. 5. F. 6. G. 7. H. 8. I. 9. K. 10. L. 20. M. 30. N. 40. O. 50. P. 60. Q. 70. R. 80. S. 90. T. 100. U. 200. X. 300. Y. 400. Z. 500.

Exempla.

Progr. *Jeſus.* 394.

Anagr. *Deus es.* 394.

Aliud in Divam Agatham Epigrammate expoſitum.

Ex Michaële Moraſchino Equite Panormitano

Progr. Sancta Agatha Martyr 1044.

Anagr. En Panormi orta, Catinæ torta 1044.

En Catinæ *quæ* torta *peris*, *virgo* orta Panormi *es.*

*Quod tua per numeros nomina rite probant.*

*Te*

*Te genuit ( nec vana fides ) generoſa Panormus.*
*Ætna faces, gemmas noſter Oretus alit.*

Eſt & aliud Anagrammatis Numeralis genus; quoties videlicet illarum literarum numeri ſolùm computantur, quæ notæ ſunt numeri Romani. Numeri autem Romani, qui Per literas ſignificantur, ſunt I. pro 1. V. pro 5. X. pro 10. L. pro 50. C. pro 100. D. pro 500. M. pro 1000. Inquirendæ igitur ſunt in Programmate hujuſmodi literæ, ſive numerariæ notæ; earumque numeri ſupputandi: tum invenienda eſt vox, quæ eundem numerum exprimat per eaſdem numerarias notas Romanas, quas contineat. Cùm autem hoc Anagramma ſcribitur, hæ numerariæ notæ etiam ſi in medio vocis ſitæ ſint, literis grandioribus efformantur. En exemplum:

| | | |
|---|---|---|
| Progr. | IesVs | 6. |
| Anagr. | VIa | 6. |
| Aliud | VerItas | 6. |
| Aliud | VIta | 6. |

## ARTICULUS V.

### *De Ænigmate.*

ÆNigma, latinè obſcura locutio, ſic poteſt deſcribi [ Oratio obſcura rem notam tegens, quam verborum ambagibus ſignificat, ut verus rei ſenſus ab Audiente inveniatur. ] Apud Veteres Ænigmata inter epulas proponeban-

bantur; ut qui ea ſolveret, præmium, qui verò ignoraret, pœnam reportaret.

Triplicis generis poſſunt eſſe Ænigmata. Alia enim in Rebus conſiſtunt; alia in Vocibus, alia demum in Syllabis. Jam de ſingulis breviter.

Ænigma, quod *in Rebus conſiſtit*, fit, vel quoties rei alicujus proprietates, & natura terminis allegoricis adumbrantur: ut eſt illud *de Bombyce*,

*Arte mea pereo: tumulum mihi fabricor ipſe;*
*Fila mei fati duco, necemque neo.*

Vel II. quoties ad majorem venuſtatem plura inter ſe oppoſita de re eadem affirmantur; quæ tamen in aliquo ſenſu vera ſunt, etſi prima fronte pugnare videantur: hujuſmodi eſt Ænigma illud *de Anno*:

*Eſt unus genitor, cujus ſunt pignora bis ſex;*
*His quoque triginta natæ ſub diſpare forma,*
*Aſpectu hinc niveæ, nigræ ſunt vultibus illinc.*
*Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes.*

Ænigma, quod *in Vocibus conſiſtit*, fit, cùm vocibus, ſive formulis ita æquivocis utimur, ut de re longè ab ea diverſa, de qua, re ipſa volumus, loqui videamur. Genus hoc Ænigmatis laudatiſſimum eſt, ac maximè in uſu. En italicum Exemplum *de Cinere*:

*Conſumato il meſchin, ch'ebbe ogni coſa,*
*Al fin morì di fame il Padre mio:*
*Più volte il ricoprii figlia pietoſa;*
*Nè in lui potei far pago altro deſio.*
*Sotto la Zona torrida, e focoſa*

*Fra*

*Fra Mori abitator bianca nacq' io:*
*Ma fu mia vita al genitor dannoſa*
*Ch' appunto allor, ch' io nacqui, egli morio.*
*Mi ſpirò frà le braccia; e puro, e mondo*
*Al ciel volò ſuo ſpirito, ed io infelice*
*Quì le macchie a purgar rimaſi al mondo.*
*Simbol di Penitenza ognun mi dice:*
*Guardatevi però da quel, che aſcondo*
*Sotto di queſta veſte ingannatrice.*

Ænigma, quod *in Syllabis*, ſive etiam literis *conſiſtit*, qui & Logogryphus nuncupari ſolet, fit, cùm, detractâ, additâ, aut immutatâ ſyllabâ, vel literâ aliquâ, nomen conſurgit ejus rei, quam volumus ſignificare: ſic in voce *Ovis*, ſi primam literam demas, reſtabit *vis*, unde natus verſiculus:

*Imbellis tota eſt; caput exime,* Vis *erit illi.*

Sic etiam a verbo *Navem*, ſi tollas *N* & *M* habebis *Ave*; unde aliquis ad Amicum ſcribens ajebat:

*Mitto tibi* Navem *prorâ, puppique carentem.*

Alius aurum ad Amicum mittens, ſic luſit:

*Cornigerum* Taurum *mitto tibi fronte carentem,*
*Quale ſolet munus mittere dives Arabs.*

## ARTICULUS VI.

### *De Cæteris Ludis Poëticis.*

QUanquam hos carminum luſus meras ſemper ineptias duxerim, tamen ne quid Ado-

le-

leſcentes, quorum gratiâ has Inſtitutiones ſcripſi, deſiderare poſſint, quòd ad Artem Poëticâm ſpectare videatur, præcipua horum luſuum genera indicabo.

Præcipui autem Ludi Poëtici ſunt Acroſtichis, Verſus Prothei, Concordantes, Correlativi, Retrogradi, Leonini, & Bilingues.

*Acroſtichis* eſt, cùm primæ cujuſque verſus literæ nomen aliquod, ſive ſententiam exhibent: ſint pro exemplo carmina cujuſdam Sybillæ, quæ refert D. Auguſtinus *l. VIII. de Civit.* Dei *c. XXIII* quorum primæ literæ nomen Jeſu efformant, deque ejus adventu ad humanum genus judicandum loquuntur:

*Judicis ad ſignum tellus ſudore madeſcet:*
*E cœlo Rex adveniet per ſæcla futurus.*
*Scilicet in carmen præſens, ut judicet orbem,*
*Unde Deum cernent incredulus, atque fidelis.*

Interdum geminatur Acroſtichis ita, ut extrema cujuſque verſus litera eadem ſit ac prima: interdum etiam ab iis literis, quæ ſunt in medio cujuſcumque verſus, nomen idem exprimitur.

Verſus *Prothei* ſunt, quorum verba innumeras penè formas poſſunt induere: hujuſmodi ſunt duo illa carmina,

*Tot tibi ſunt dotes Virgo, quot ſidera cœlo.*
*Rex, Dux, Sol, Lux, Fons, Spes, Pax, Mons, Petraque Chriſtus.*

*Concordantes* habent verba duobus verſibus etiam contrario ſenſu communia, & bis leguntur: ut,

*Si*

*Si canis* *in caulis* *ſtabuletur,* *ovilia* *ſervat;*
*Si lupus* *in caulis* *latitarit,* *ovilia* *vaſtat.*

*Correlativi* ſunt, in quibus ſingulæ voces prioris verſus ſingulis poſterioris verſus reſpondent: ita ſe habent duo illi verſus *de Aqua*:

*Extinguit, recreat, mulcet, fovet, abluit, arcet,*
*Æſtum, hepar, ſenſum, corpora, fœda, ſitim.*

*Retrogradi* ſunt, in quibus ſi ab ultima litera ad primam recurras, eadem verba eodem ordine invenies: ut,

*Signa te, ſigna, temere me tangis, & angis,*
*Roma tibi ſubitò motibus ibit amor.*

*Leonini* ſunt, quorum poſtremæ ſyllabæ, & mediæ rithmicè conſonant: ut eſt illud de Horologio.

*Damna fero rerum, ſed plus fero damna dierum:*
*Quiſque poteſt rebus ſuccurrere, nemo diebus.*

*Bilingues* ſunt, qui vocibus conſtant duabus linguis, italicæ e. g. & latinæ communes. En Exemplum ex Laureto Mattei.

O fiſtulæ, o chordæ,
O tubæ ſpirate.
In voce concorde
Tripudia, o cor, pupillæ lacrymate.

Atque hæc de Inſtitutionibus Rhetoricis, & Poëticis dicta ſufficiant ad Majorem Dei, Integerrimæque Virginis gloriam.

IN-

| ERRATA | | | | CORRIGE. |
|---|---|---|---|---|
| Pag. | 27. lin. | 1. | Geſtebat | Geſtiebat. |
| | 28. | 24. | multarum | multorum. |
| | 38. | 4. | ut | tu. |
| | 41. | 23. | Formulæ | redeundi ad propoſitum. |
| | 44. | 28. | confidemus | confidimus. |
| | 45. | 1. | te | me |
| | 55. | 13. | 3. adde | ſi |
| | 56. | 24. | oratoria-deme | & ſane. |
| | 107. | 20. | ſuaſque | ſuaque. |
| | 131. | 25. | quæquæ | quæque. |
| | 192. | 24. | eandem | eadem. |
| | 196. | 3. | quæquæ | quæque. |
| | 200. | 11. | Cæçina. | Cæcinna |
| | 259. | 30. | inteeſt | intereſt |
| | 275. | 8. | ordinalibus. | diſtrib[illegible]tivis |
| | 302. | 11. | alteraque | alter[illegible]e |
| | 302. | 21. | ſatis. | ſatis. |
| | 311. | 23. | conſcientiâ-adde | non. |
| | 343. | 9. | Æſtur | Eſtur. |
| | 383. | 18. | ſunt | Ut ſunt. |
| | 397. | 20. | Caldæs | Caldæis. |

**Finis.**

Rhetorica

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE ROMA
MAG 2014286
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

iroler

Digitized by Google